BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B (1
274

605406 Racc. Vill. B. 774

FRANCISCI ROSSI

IN REGIA NEAP. ACADEMIA

ANTECESSORIS

JURIS CIVILIS NEAPOLITANI PRÆLECTIONES

TOMUS I.

NEAPOLI MDCCXC.

Ex Typographia Orsiniana.

Publica Auctoritate.

EXCELLENTISSIMO

ALOYSIO SERRAE

CASSANENSIUM DUCI

FERDINANDI IV P. F. A.

INTIMO CUBICULARIO

FRANCISCUS ROSSI

S.

JUris Civilis Neapolitani Prælectiones, Vir Excellentissime, mihi recens domi natas in publicam lucem emissurus illud cum primis consilii cepi, ut e domesticorum parietum umbra in Tuam fi-

dem , ac tutelam venirent , ratus profecto , maximam ex Tui nominis dignitate illas lucem , atque auctoritatem fœneraturas. In hanc vero ſententiam non proſapiæ , aut opum tuarum amplitudo me adduxit , ſed tua virtus , tuæque vitæ ratio , qua ampliſſimum a majoribus acceptum gloriæ patrimonium novis auctibus ita amplificaſti , ut in Tui amorem, admirationemque conciveris univerſos . Cum enim nobilitatem , et fortunarum copiam non otii illecebram , ſed virtutis inſtrumentum ſemper exiſtimaveris , perfeciſti profecto , ut et majorum tuorum digniſſimus , et patriciorum exemplar ab omnibus habereris. Nec poterat ſecus evenire . Ita enim es a prima ætate inſtitutus , quaſi omnia Tibi tuo labore et contentione comparaturus eſſes , nihilque foret præſidii in majorum tuorum imaginibus collocatum . Quamobrem cum humanarum litterarum palæſtra , atque matheſeωs pulvere adoleſcentiam non indecore exercueris , omnes philoſophiæ partes , corroborata deinceps ætate , perluſtraſti , atque in ipſa privati , publicique juris penetralia , prælucente hiſtoriæ face,

ce , tanta celeritate pervaſiſti , ut docentium induſtriam, et ſtudium ſæpius præcurreres . Quæ ſane diſciplinarum optimarum cultura , cui tantopere adlaboraſti , fructus extulit uberrimos ; cum et animum ſingulari ſapientia locupletarit , et vitam dulciſſimis moribus exornarit , et maximum apud cives omnes in Te amorem concitarit .

Jam autem admirabilis hæc virtutum tuarum laus intra patriæ fines circumſcripta non delituit ; ſed erupit illa quidem, exteraſque regiones peragravit. Cum enim domo profectus in Galliam Narbonenſem pergeres duos lectiſſimos liberos Toloſam inſtituendos , atque erudiendos deducturus , tot tantiſque honoris, ac benevolentiæ argumentis ab eruditiſſimis , ac principibus Italiæ , Galliæque viris exceptus es, ut maximam gentis, fortunæque tuæ rationem, majorem vero virtutis, ac ſapientiæ habitam eſſe, intelligerent univerſi. Atque heic mihimetipſe imperare nequeo, quominus illud gratiſſima recordatione uſurpem , quod Tibi id itineris agenti contigit , nec Tui tantum , ſed totius etiam Neapolitani nominis ceſſit

laudi, et ornamento. Namque dum clariores Italiæ urbes inviſeres, ſumma comitate a ſummis Principibus acceptus, et familiari colloquio adhibitus adeo illorum animos ſermonis elegantia, gratia, prudentia Tibi devinxiſti, ut Te pluribus, quo diuturniorem iis in urbibus moram duceres, hortati ſint, neque abeundi copiam prius fecerint, quam fidem dares, Te e Gallia reducem ſuas urbes, ſeque fore reviſurum.

Tu interea totum illud iter non ad inanem oculorum oblectationem; verum ad majorem animi cultum comparaſti; neque ullum temporis articulum elabi paſſus es, ex quo non aliquid utilitatis caperes. Etenim quocumque divertebas, non committebas tu quidem, quin populorum mores, ſtudia, leges perſcrutareris: idque agebas non ut unus e multis, ſed tamquam ex Philoſophorum officina ad ea, quæ in vita ex uſu forent e diſſitis cultiſque gentibus conquirenda emiſſus. Ex quo porro factum eſt, ut multo, quam antea, in patriam redieris optimarum rerum cognitione, atque uſu inſtructior, et ornatior.

Quan-

Quantum autem illud eſt, quod in ipſo itinere edidiſti elegantiſſimi ingenii Tui documentum? Quidquid enim rariorum codicum per Italiam, Galliamque Tibi ſuboluit, undique ſumma diligentia, atque incredibili ſtudio conquiſitum, ingentique ſumtu coëmtum in patriam ad locupletandam bibliothecam tuam attuliſti. Quibus certe gazis, ceteriſque porro, quorum major in dies facta eſt acceſſio, ſupra omnes, quæ inſtrui a privato potuere, Italiæ bibliothecas illa inclaruit. Nec quiſquam eſt vel civium, vel exterorum hanc urbem adeuntium, modo animus aliqua litterarum laude caleat, quos non auguſtiſſimum illud Muſarum ſacrarium alliciat; unde humaniſſima voluptate perfuſi diſcedunt ſelecta illa κειμηλια contemplati, Teque cum primis, quidquid potes temporis e rerum tuarum adminiſtratione ſubripientem, librorumque lectioni impendentem, ut inexſaturabilem illam diſcendi cupiditatem nova aliqua, et quæſita dape expleas.

Hæ profecto tantæ laudes non illæ quidem tralatitiæ, ſed peculiares, ac Tuæ Ferdinandum Regem, ſapientiſſimum homi-

minum æſtimatorem, permovere, qui Te ſumma gratia, et benevolentia complexus ad ſacrarum venationum ſtudia divertens, vitæ comitem, otiique minime ignobilis ſocium adſciſcit: quo quidem nullum eſſe poteſt neque ad Tuam amplitudinem majus, neque ad gloriam, immortalitatemque illuſtrius monumentum. Atque eo quidem maximi Principis judicio illud eſt Tua virtus adſecuta, ut ad ſummum faſtigium evecta ſplendidiorem lucem quaquaverſus emittere videatur.

Sed neſcio quo pacto præter opinionem huc uſque progreſſus laudum tuarum commemoratione, quæ neque pari oratione comprehendi, neque unius epiſtolæ finibus concludi poſſunt, modeſtiam Tuam fatigaverim. Hæc igitur prætermitto, et eo, unde digreſſa oratio eſt, revertor. Itaque Te oro, obteſtorque, ut has Neapolitani Juris Prælectiones in Tuam tutelam accipias, perpetuum futuras obſervantiæ in Te meæ, gratique animi pignus, ac monumentum. Vale.

CON-

CONSPECTUS TITULORUM,

qui in primo tomo continentur.

Prior numerus librum, alter paginam indicat.

A

De Alimentis præſtandis. I. 61.

C

De Clericis, eorumque juribus. I. 32.
De Donationibus propter nuptias, & anteſato. II. 101.
De Feminis, & reſtitutione ipſis præſtanda. I. 69.
De Filiisfamilias. I. 42.
De Fluminibus, ac Rivis. II. 79.

H

De Hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur. II. 126.
De Jure perſonarum. I. 29.

L.

De Legibus contra admortizationem latis. II. 82.
De Legitima parentum ſucceſſione ex Conſuetudine Neap. II. 129.

M.

De Minoribus. I. 55.

O

De Operis novi nunciatione. II. 114.

P

Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur. I. 49.

DE ORIGINE IURIS NEAPOLITANI HISTORICA PROLUSIO.

NEmo unus ignorat, Regnum Neapolitanum pro temporum diversitate diversam regiminis subiisse formam. Sane ubi Romanis paruit, Sicilia in provinciam redacta, reliquae civitates vel foederatae fuere, vel municipia, vel coloniae, vel praefecturae. *Municipes* honorum, ac munerum participes suis vivebant legibus, suisque magistratibus utebantur, si eos exceperis, qui *fundi* facti (1) Romanas sibi leges adoptas-

 sent

(1) Ubi municipes *fundi* fiebant, Romanis legibus veluti ex privilegio utebantur. *Fundi* autem erant

ſent (a). *Coloniae*, quas Gellius *effigies parvas, & ſimulacra* populi Romani appellat (b), inſtituta, legeſque Romanas ſervabant, ſuosque creabant magiſtratus e collegio decurionum. Earum aliae Romani, aliae Latini, aliae Italici juris fuere. Coloniarum Romani juris optima conditio erat; durior earum, quae Latini, Italicive juris cenſebantur (1). *Civitatum autem foederatarum* illud erat proprium, ut ſuis viverent legibus, ſuiſque magiſtratibus uterentur. Tantum praeſtare populo Romano cogebantur, quae ex foedere debebant. Hujuſmodi porro foedus inaequale erat, & ſpeciem quamdam ſervitutis praeferebat: eo enim foederati populi annuum aliquid ſtipendii nomine Romanis promittebant. Neapolim inter foederatas civitates aliquando fuiſſe, memoriae prodidit Livius (c) (2).

Prae-

---

erant municipes, qui Romanis legibus ſubſcripſiſſent, iis in ſuas civitates receptis. Vid. Heinnecc. *in Append. Antiqq. Rom.* cap. 2. 88.

(a) *Gell. Noct. Attic.* 19. 13.

(b) *Id. ibid.*

(1) Coloniae Romani juris in eo a reliquis coloniis diſtabant, quod illae ſuffragii tantum & munerum jure carebant; hae non ſolum eo jure, ſed & jure Quiritium generatim deſtituebantur. Spanhem in *Orb. Rom. I.* 11. Heinecc. *Appendic. Antiqq. Rom.* cap. 5. 128.

(c) *Liv.* 35. 16.

(2) Poſt legem Juliam, qua ſociis, qui in fide ſteterant, jus civitatis datum, modo in leges Romanas fundi fierent, Neapolitani cives jus Romanae ci-

Praefecturae denique quotannis Romanos Praefectos accipiebant. Ii Romanis legibus, ſuiſque edictis eas gubernabant. In Praefecturarum conditionem conjiciebantur civitates, quae aut fidem fefelliſſent, aut quid admiſiſſent, quod ea regiminis forma vindicari oporteret (*a*).

At provinciae regiones erant vel bello partae, vel hereditate, vel deditione adquiſitae, quae cenſum, tributa, vectigalia Romanis pendebant, & per Proconſules, vel Propraetores quotannis Roma miſſos regebantur vel Romanis legibus, vel annuis edictis. Interdum tamen in ipſis provinciis erant municipia, coloniae, & foederatae civitates, quae diverſo jure cenſebantur.

Is rerum ſtatus, ſtante republica, & ſub imperii primordiis fuit. At rerum ſumma ad Hadrianum delata, univerſum imperium, atque ipſa Italia in provinciae formam redacta eſt. Ex Italia autem, inſuliſque adjacentibus ſeptemdecim provinciae coaluerunt, quibus regendis praefecti ſunt Conſulares, Correctores, ac Praeſides auctoritate pares, ſed diſpares dignitate (*b*). Ex iis porro, quae ad Regnum Neapolitanum pertinent, Sicilia, & Campania Conſularibus; Samnium Praeſidi; Apulia cum

civitatis nacti ſunt. Rem omnem ſcite more ſuo demonſtravit Cl. Nicolaus Ignarra in de *Palaeſtra Neap.* p. 163. ſeqq.

(a) *Liv.* 26. 16.

(b) *Spartian. in Hadrian. c.* 22.

Calabria, & Lucania cum Brutiis Correctoribus paruit. (1)

Jam vero, Conſtantino imperante, alia regiminis forma conſtituta eſt. Scilicet Romanus orbis in duas diviſus eſt partes, ut duobus Imperatoribus pareret. Utraque pars in dioeceſes: quaeque dioeceſis in ſuas provincias tributa. Ita novi magiſtratus creati, qui dioeceſibus, provinciiſque praeſſent. Inter eos quatuor eminebant Praefecti Praetorio, nimirum Orientis, Illyrici, Italiae, & Galliarum. Italiae Praefecto ſuberant vicarius Romanus, & vicarius Mediolanenſis. Vicario autem Romano parebant provinciae ſuburbicariae, quae a Conſularibus, Praeſidibus, Correctoribus regebantur.

Res quidem ita fuerunt, quouſque Occidentis ſtetit imperium. Ex ejus autem ruinis varii principatus emerſere. Reliquae ſane Occidentalis imperii partes diverſam fortunam ſub diverſis dominis ſubierunt. Italiae Regnum Odoacri Herulorum Regi ceſſit an. 476. qui, Auguſtuli exercitu ad Ticinum fuſo, Imperatorem ipſum in caſtrum Lucullanum conjecit.

Odoacri breve regnum fuit. Anno enim 489. Theodoricus Oſtrogothorum rex Herulis bellum intulit, Ravennaque poſt triennalem obſidionem capta, Odoacrem interemit, atque Got-

(1) In diviſione ab Hadriano facta Neapolis ad Campaniae provinciam pertinuit, cujus urbs princeps Capua fuit.

Gothorum Regno in Italia fecit initium. Quamdiu autem res Gothorum ſteterunt, provinciae a Romani regiminis forma nil receſſere, atque Conſularibus, Correctoribus, Praeſidibus gubernatae Romanis legibus ex Codice Theodoſiano paruerunt. Tantum per minores civitates *Comites* fuerunt conſtituti, qui jus apud eas dicerent (*a*).

Verum Juſtinianus, Gothis bello devictis, Italiam univerſam recepit anno ferme ſexageſimo quarto, ex quo Regnum Theodorico ceſſit (*b*). Eo porro mortuo, ipſius ſucceſſor Juſtinus Jun. Vigilantiae ſororis filius, homo haudquaquam ſatis aut pacis, aut belli artibus ad tantam rerum molem ſuſtinendam inſtructus, Narſetem, (cujus virtute Italia ad Principum Bizantinorum obſequium redierat, quique pro-Imperatore eam gubernabat,) Conſtantinopolim revocavit, in ejus locum ſubrogato Longino. Is, Exarchae adſumto nomine, Ravennae ſedem conſtituit; &, veteri regiminis forma abolita, ſingulis civitatibus *Duces* ad reddenda jura judices aſſignavit, eoſque omnes a ſuo nutu pendere juſſit (*c*).

Narſes, Juſtino ob injuriam acceptam iratus Alboinum Longobardorum Regem e Pannonia excivit. Is infeſto exercitu in Italiam venit, ac primo impetu Galliam Ciſalpinam

(a) *Jannon. Hiſtor. Civil. lib. 3. cap. 2.*
(*b*) *Id. ibid. c. 4.*
(c) *Sigon. de Regn. Ital. lib. I.*

occupavit an. 565. unde huic regioni *Longobardiae* nomen factum. Tum an. 569. capta Mediolano, Longobardorum regnum in Italia constituit, sede Ticini posita. In ipsa porro Italia pleraeque regiones, atque maritimae urbes Longobardis numquam paruerunt (1). Id inde fortasse factum, & quia ob decennale Longobardorum interregnum victricia eorum arma fuerant retardata; & quia maritimis civitatibus facile auxilio accurrebant Byzantini Principes.

Regno ad Astolphum delato, is cupidine proferendi fines accensus, Ravennam primum, tum cetera Exarchatus oppida in ditionem per vim redegit. Audentior inde factus Romanum Ducatum infestis signis invadere, agros, villasque ferro atque igne vastare, incolas in servitutem abstrahere coepit. Mox, exercitu Urbi admoto, ultimum Pontifici, ac Romanis excidium, & servitutem attulisset, ni precibus Stephani III. commotus Pipinus Francorum rex Romanum Ducatum, atque Exarchatum Ravennatensem ab hoste vindicasset (a).

Defuncto Astolpho, Desiderio Regnum defertur. Is vero Romanum Ducatum invadere cum coepisset, Carolus Pipini filius, instante Pon-

(1) Longobardorum imperio non paruit Exarchatus Ravennatensis, Ducatus Romanus, ac Neapolitanus; quin & Cajeta, Surrentum, Amalphis, plurimaeque Brutiorum, ac Calabriae civitates ipsorum jugum non subierunt

(a) *Sigon. de Regn. Ital. lib. III. in Aistulpho.*

Pontifice Hadriano, e Gallia in Italiam Romanis auxilium laturus accurrit; ac praelio cum Desiderio feliciter gesto, Papia ex deditione potitus, Longobardorum regem cum uxore, ac liberis in Gallias captivum duxit. Atque ita finis regno Longobardorum in Italia factus est, anno postquam Italiam occupaverant, ducentesimo sexto, Christi vero septingentesimo septuagesimo quarto.

Jam vero Longobardi, regia sede Ticini constituta, Italiam in plures ducatus diviserunt, praepositis cuique ducatui Ducibus, qui & rei militari, & civili praessent. Sed ob Clefis crudelitatem regem exosi, Ducibus rerum summam tradiderunt; donec post decennium, belli rationibus ita suadentibus, regnum restituerint. Autharis rex delectus, quo regnum viribus adhuc imbecillum amplificaret, a singulis Ducibus vectigalium suorum dimidium ad regiam tuendam amplitudinem conferri jussit. Iis porro urbium usum, dominio, & jure sibi retento, reliquit: neque successores tradidit, nisi aut virili extincta stirpe, aut conflata defectione (1) (*a*). Inter ducatus vero tres potissimum

(a) *Sigon. de Regn. Ital. lib.* 1. *in Authari.*

(1) Originem feudorum non secus ac Nili fontes densioribus tenebris a Scriptoribus involutam, ex hac Autharis regis constitutione apud Italos profluxisse, nemo in praesens in dubium revocat. Vid. *Auctor. Hist. Civ. Regn. Neap.* lib. 4. c. 1. & *Struvium in Syntagmate Jur. Feudal. c.* 1.

mum praecellebant, Forojulienſis, Spoletanus, Beneventanus. Beneventanus Ducatus ceteris amplior totum ferme Neapolitanum regnum comprehendit, *minor Longobardia* propterea appellatus (*a*).

Porro late patentibus regionibus praefecti Duces cum plurimis negotiis haud ſufficerent, *Comites* ſibi crearunt, qui ſingulis urbibus praeſſent. Duces, ac Comites res domi, militiaeque gerebant, & civibus in omnibus cauſis, adſidentibus Scabinis, jus dicebant. Comitibus Sculdaſii ſuberant. Ii in ſingulis pagis de minoribus pecuniariis cauſis judicabant, & leviora delicta coërcebant. A Sculdaſiorum ſententiis ad Comites appellatio erat. Ab hiſce omnibus diſtabant Gaſtaldi, quibus id curae fuit, ut regios fundos adminiſtrarent, pecuniamque inde redactam adſervarent; licet & de pecuniariis cauſis, & de levioribus delictis aliquando jus dixerint (*b*).

Quae hucuſque de Longobardorum regimine memoravimus, ad Italiam tranſtyberinam pertinent. In Italia autem ciſtyberina, i. e. in Ducatu Beneventano alia regiminis forma. Sub Duce Beneventano, (qui, ſi legum lationem, & monetalem cuſionem excipias, ceteris omnibus

(a) *Peregrin. praefat. ad Anonym. Salernitan. p.* 164.

(b) *Carol. Pecchia in Hiſtor. M. C. Diſſ.* 1. §. 10. *& Diſſert.* 2. §. 3. *tom.* 2.

bus majeſtatis juribus utebatur) nulli fuere ab initio Comites praeter unum, & alterum Capuanum Comitem ex ſingulari merito creatum. Gaſtaldi provinciis praeerant, quorum munus annuum fuit. Ipſi fundos Ducis adminiſtrabant, de pecuniariis cauſis jus dicebant, atque jure gladii in facinoroſos utebantur ſine provocatione. Ipſis Sculdaſii ſuberant exemplo tranſtyberinorum. Haec uſque ad Arechium immota manſerunt. Is porro, Principis adſumto nomine, leges tulit, nummos cudit, & Comites pleroſque creavit.

Jam vero Longobardi per annos *76.* ex quo in Italiam venerant, moribus potius, quam ſcriptis legibus utebantur. Primus Rotharis omnia vetera Longobardorum ſcita collegit, quae novis pleriſque aucta decretis *Edictum* vocavit, publicavitque Papiae an. *643.* Ejus exemplum ſequuti poſteriores Longobardi Reges Grimoaldus, Liutprandus, Rachis, & Aſtolphus diverſis temporibus novas leges tulerunt; quas omnes poſt Lindebrogium (*a*) ex collatione manuſcriptorum collegit Ludovicus Ant. Muratorius (*b*). Longobardicas porro leges pro temporum ratione aequitate ſua praeſtantiſſimas Carolus M. Italiae, ac Longobardorum rex ſalutatus, novis ſubinde additis, confirmavit. Ex eo factum, ut nomine legum Longobar-

(a) *Lindebrog. in Cod. leg. antiq.*
(b) *Murator. Rer. Ital. ſcript. t. 1. l. 2.*

bardicarum non modo illae, quas Longobardi Principes tulere; ſed & eae deſignentur, quas Carolus M., ejuſque in Regno Italiae ſucceſſores tulere. Hujuſmodi leges tribus libris comprehenſas videre eſt apud Lindebrogium (*a*).

Porro Longobardi Principes legibus a ſe latis unos Longobardos parere voluerunt: ceteris devictis populis poteſtatem fecerunt, ſeu Romano, ſeu Longobardico jure vivendi. Ea de cauſa a Liutprando cautum (*b*), ut tabelliones ſecundum contrahentium legem ſeu Romanam, ſeu Longobardicam, inſtrumenta conſcriberent (*c*); utque uxores virorum, filii patrum lege viverent. Cum vero Duces, ac Comites, quique apud Regem aliquod munus obibant, Longobardico jure viverent; hinc factum, ut in regionibus noſtris plerique omnes jus Longobardicum certatim arripuerint, idque *jus commune* evaſerit (*d*). Vix de plebecula homines, qui avitis moribus mordicus haerere ſolent, & clerici, qui Longobardos utpote Pontifici Romano infenſos averſabantur, Romanis legibus vivebant. Ea de cauſa Lotharius Imp. edixit, ut *cunctus populus Rom. interrogetur, quali lege vult vivere: ut tali lege, quali*

(a) *Cod. Leg. Antiq.*
(b) *L. L. lib.* 1. *t.* 29. *l.* 2.
(c) *L. L. lib.* 2. *t.* 5. *l.* 1. *& tit.* 7. *l.* 1.
(d) *Conſt.* Puritatem.

quali vivere profeſſi ſunt, vivant (a).

At ineunte ſeculo XI. Northmanni numero, uti fertur, quadraginta iter Hieroſolymam pro more ſaeculi inſtituerunt. Inde redeuntes Salernum forte appulerunt. Comiter heic a Guaimaro III. excepti cum rem ſtrenue contra Saracenos (1) geſſiſſent, qui ex Africa, Siciliave adventantes, vim clademque inferre conſueverant, eorum virtute excitus Salerni Princeps eos rogavit, ut ibi ſedem figerent. Verum cum ad ſuos redire mallent, Principi promiſerunt, vel ſe brevi redituros, vel certe Northmannorum manum illuc miſſuros, quae ei adverſus Saracenos praeſidio foret. Donis onuſti domum redierunt, & re omni ſuis narrata, eos perpulerunt, ut in Italiam deſcenderent. Ita Oſmundus, Rainulfus, Aſclittinus, aliique Salernum primi venere. Hi principio ſub Longobardis meruere; eiſque nulla ab initio certa ſedes. Mox, duce Rainulfo, Averſam condidere.

Rai-

(a) *Apud. Lindebrog. C. Leg. Antiqq. lib.* 2. *tit.* 57.

(1) Northmanni i. e. *homines Boreales* ſeu ob caeli regionem, ſeu ob duriorem inſtitutionem ceteris mortalibus corporis robore praeſtiterunt. Ii e Scandinavia in Neuſtriam primum temporibus Caroli M., duce Rollone, commigrarunt. Inde provinciae nomen *Northmanniae* factum. Rollon Chriſtianae religioni nomen professus Robertus fuit nuncupatus. Ab eo poſt multam nepotum ſeriem ortus fertur Tancredus Altavillae Comes, ex quo nati ſunt illi, qui noſtris regionibus primum imperitarunt.

Rainulfus porro cum Sergio Neap. Duci ſtreque navaſſet operam adverſus Pandulfum IV. Capuae Principem, ab eodem Sergio Averſae Comes renunciatus omni finitimo Averſano agro donatur. Tum ne quid ei deeſſet, Averſano comitatu pro more ſaeculi inveſtitur a Conrado Salico imperatorio jure an. 1037. Ita Rainulfus dignitatis titulo inſignitus urbem, conterminumque agrum in feudum accepit. (a)

Haud multo poſt tempore Rainulfus veteres ſodales e Neuſtria advocavit. Inter eos Principes fuere Guilelmus, Drogo, Umfredus, aliique Tancredi Altavillae Comitis filii. Ii ab initio ſub ipſis Longobardorum, Graecorumque ſignis militarunt. Tum Graecis irati, a quibus nullum bene navatae in Sicilia operae pretium retulerant, urbes Apuliae Byzantinis Principibus ſubjectas occuparunt, & Guilelmum Ferribrachium an. 1043. Apuliae Comitem communi conſenſu renunciarunt. Mortuo autem Guilelmo, Henricus II. Imp. Drogoni, qui fratri ſucceſſerat, Comitatum Apuliae & Calabriae confirmavit. Inde factum, ut Northmanni Principes non modo jure belli, ſed & inveſtitura ab imperatore accepta, earum provinciarum legitimi fuerint poſſeſſores.

In hoc ſtatu rerum Leo IX. Northmannis palam infenſus, quo eos ex hiſce regionibus pelleret, Henricum in Germaniam adiit, ut con-

(a) *Auct. Hiſt. Civ. l. 9. c. 1.*

conjunctis copiis Northmannos depugnaret. Itaque anno 1053. Leo ipse dux exercitus Italo. Germani factus, signis cum Umfredo collatis, in Lucania victus est, & captivus ductus in tentoria. Sed Umfredus jure belli adversus Pontificem non usus, pacem cum eo iniit, terrasque omnes, quas bello quaesiverat, Pontificia auctoritate muniri voluit (*a*) (1).

Audaciores ex eo certamine Northmanni facti, duce Roberto Guiscardo, qui Umfredo fratri in Comitatu successerat, reliquis ferme civitatibus *potiti sunt*, quae in Calabria, & Apulia Principibus Byzantinis parebant. In tanto autem virium incremento Robertus, *Comitis* nomine abdicato, se Apuliae, & Calabriae *Ducem* vocari jussit. Tum, ne quid sollertiae suae deesse videretur, pacem cum Nicolao II. pepigit an. 1059. *ligiumque* se hominem facit Pontificis, a quo regiones armis partas acceptas se ferre ex more seculi (2) profitetur, tributi-

(a) *Malaterra l.* 1. *cap.* 14.

(1) Haec prima investitura fuisse traditur, quam in Regnum Neap. Romani Pontifices nescio quo jure sibi adsciverunt. Vid. Nic. Caravit. in lib. *Nullum jus* &c.

(2) Ob frequentes alienarum rerum invasiones mos inoleverat, ut possessores res suas Pontifici offerrent, ejusque velut tutelae committerent, quas deinde utendas fruendas ab ipso acciperent. Eum morem & Robertum sequi oportuit, potissimum quia sollemni carmine piorum communione a Pontifice pri-

tique annui nomine ſoluturum duodenos denarios in ſingula juga bouum (a) Viciſſim Ducem Calabriae, & Apuliae eum Pontifex renunciavit, omneſque conceſſit provincias, quas ſeu in Neapolitano Regno, ſeu in Sicilia armis occupaſſet. (1)

Rebus ita cum Pontifice compoſitis, Robertus Sicilia potitur, eamque fratri ſuo Rogerio Comiti renunciato ſubeſſe juſſit. Tum in Apuliam rediens Salernum capit, ac Beneventanum ducatum in ſuam redigit poteſtatem an. 1065. Is porro cum in orientem adverſus Graecos militem duxiſſet, pluribus oppidis captis, fato ceſſit an. 1088. Rogeriumque filium habuit ſucceſſorem. Rogerio Guillelmus Roberti nepos; Guilelmo Rogerius II. Rogerii Boſſi Siciliae Comitis filius proximo agnationis jure

---

privatus ſumma apud populos invidia laborabat: ut proinde opus habuerit, phantaſmate religionis infatuare plebem, titulumque apud eam validum ſibi comparare.

(a) *Sigon. de Regn. Ital. l. 8.*

(1) Alterum hoc Pontificiae inveſtiturae in Neap. Principes exemplum fuiſſe fertur. Inde tamen nihil de Majeſtate detractum. Quid enim de ſuo Pontifex conceſſit? Annuus vero cenſus non feudalis nexus argumentum fuit, ſed Pontificii patrocinii, quod non modo Principes, ac barones; ſed & ipſi privati homines avide expetebant, quo ſecuriores de dominio forent. Sed de tota re videſis *Nic. Caravitam* in libello cui tit. *Nullum jus* &c. §. 26. *ſeqq.*

re ſucceſſit (1). Rogerius autem tot provinciis auctus, Ducis, & Comitis nomine abdicato, Rex Siciliae ſalutatur. Hujuſmndi regium titulum ab Anacleto pſeudo-Pontifice primum acceptum an. 1130. Innocentius II. ipſi poſt novennium confirmavit. Sub eadem tempora Capuanum principatum armis adeptus eſt, & Neap. Ducatum ex Sergii deditione accepit. Ita Neapolitanae provinciae unius Regni formam induerunt.

Defuncto Rogerio an. 1154. ſucceſſit Guilelmus I. cognomento *Malus* (2); quem deinde *in* regno excepit Guilelmus II. nomine *Bonus* ſtatim a morte patris vix duodennis coronatus ann. 1166. (2). Is ſine liberis decedens Henrico VI. Imp. amitae Conſtantiae viro regnum reliquit. At Tancredus filius na-

(1) Ad haec tempora refertur Siculae legationis origo. An. 1098. Urbanus II. Robertum Epiſcopum Trajanopolitanum apud Siculos legatum conſtituit. Rogerius Comes indignatus, id, ſe inſciente, factum, ea de re cum Pontifice queſtus eſt. Pontifex, Roberto legatione ademta, Rogerium, ejuſque ſucceſſores Rom. Pontificis legatos eſſe voluit. *Auct. Hiſt. Civ.* l. x. cap. 8.

(2) Ab hoc Principe inſtituta eſt Panormi M. Curia.

(3) Quo Siciliae ſucceſſioni conſuleret Guilelmus II. qui ob uxoris Joannae ſterilitatem exſpes prolis erat, Conſtantiam filiam poſthumam Rogerii I. ab uxore Beatrice, cum Henrico Suevo filio Friderici I. & Rege Germaniae matrimonio collocavit an. 1186.

turalis Rogerii Ducis Apuliae filii primogeniti Regis Rogerii, an. 1190. adclamante populo, Rex Siciliae salutatur, & a Clemente III. investituram accepit. Is paucis post annis defunctus Regnum Guilelmo III. reliquit, quem vivens ipse Regem coronari curaverat.

Dum haec aguntur, Henricus iterum Guilelmo bellum intulit, praelioque victor, ipsum cum matre Sibilia, & sororibus captivum in Germaniam misit, diraque multorum facta strage, Regno potitus est. Cum porro Henricus e vivis Massanae excessisset an. 1197. Fridericus filius adhuc impubes ab Innocentio III. Regni investituram accepit, ejusque tutelam primum Constantia mater, deinde, ea mortua, ipse Innocentius gessit. Is an. 1213. Imperator electus, an. 1220. Romae coronatur, ac post varias rerum vices an. 1250. occubuit, Conrado filio regni successore relicto. Post quadriennium e vivis erepto Conrado, Regnum ad Conradinum filium impuberem successionis jure defertur. At Manfredus Friderici II. naturalis filius, qui Regnum pro Conradino administrabat, cum ille apud matrem in Germania moraretur, falso ejus evulgata morte, an. 1258. rex salutatur, regnumque, etiam palam facta Conradini incolumitate, retinuit.

Manfredi dominationem cum aegre ferret Urbanus IV. Carolum Ludovici VIII. Regis Galliae filium, Proventiae comitem, excivit an. 1263., cui regni investituram concessit Clemens IV. an. 1265. Carolus an. 1266. cum Manfredo ad Beneventum signa contulit, eo-

que

que devicto, regno potitus est. Tum ad lacum Celanum debellato Conradino, qui, Baronibus plerisque postulantibus, e Germania armato milite venerat, Svevorum Regno finem imposuit. Conradini morte res ad Andegavenses delatae.

Carolo I. Andegavensi successit Carolus II. quem excepit Robertus filius tertiogenitus ex lite a Clemente V. inter eum, & Carobertum nepotem ex Carolo Martello filio primogenito Ungariae regem dijudicata. Roberto successit Joanna I. neptis ex Carolo Calabriae duce, qui patri fuerat praemortuus.

Joanna cum liberos non haberet, Ludovicum Ducem Andegavensem fratrem Caroli V. Galliarum regis in filium adoptatum regni destinat successorem: At Carolus Dyrrachinus e progenie Caroli II. (quippe nepos Joannis, ipsius Caroli filii, Achajae Principis, & Dyrrhachii Ducis) post obtentam an. 1381. regni investituram ab Urbano VI., Reginae bellum intulit, eamque captivam factam suffocari in lecto jussit an. 1382. Ita Neap. regnum alteri Andegavensium lineae cessit.

Carolo III. in Hungaria occiso, Ladislaus filius rex salutatur, qui regni investituram accepit a Rom. Pontifice an. 1386. Huic Joanna II. successit. Ea porro liberis destituta Alfonsum Aragonium adoptavit. Verum post triennium, ejus adoptione revocata, Ludovicum III. Ducem Andegavensem adoptat. Is porro cum sine liberis Cosentiae decessisset, Joanna testamento suo Renatum Andegaviae ducem Ludovici fratrem heredem scripsit.

At Alfonſus veteris adoptionis jure, poſtquam varia fortuna plures annos cum Renato dimicavit, tandem an. 1442. Regnum Neap. in ſuam redegit poteſtatem, ac primus omnium *utriuſque Siciliae Rex* ſalutatur. E vivis excedens Siciliam cis pharum Ferdinando filio naturali legitimato, Siciliam ultra pharum Joanni cognomento *Simplicis* fratri ſuo reliquit, regnumque Neap. a Siculo iterum ſejunxit.

Ferdinando ſucceſſit Alfonſus II. filius. Is rebellionis, & belli metu regno ceſſit Ferdinando II. filio, atque in Siciliam aufugit. Ferdinandum II. in regno excepit Fridericus patruus, Alfonſi II. frater. At Ludovicus XII. Galliarum rex, & Ferdinandus Catholicus Joannis Simplicis filius, inito faedere, Fridericum regno dejiciunt. Tum orta inter Ludovicum, & Ferdinandum finali quaeſtione, Ferdinandus, Gallis expulſis, univerſum regnum ſuae ſubdit poteſtati (1).

Mortuo Ferdinando, Joanna filia regni heres Carolum filium, Ferdinandi nepotem, qui Imperator electus *Quintus* dictus eſt, collegam adſcivit. Carolus poſt longum imperium in monaſterium ſecedens Philippo II. filio regnum tradidit. Succeſſere huic Philippus III. filius, tum Philippus IV. nepos, ac deinde pronepos Carolus II. An.

(1) Sub hoc principe *Collaterale* Conſilium conſtitutum, imminuta ſeptem regni Officialium auctoritate. Ex ea tempeſtate Neap. Regnum per Proreges gubernatum.

An. 1700. e vivis excedens Carolus ſine liberis, heredem teſtamento ſcripſit Philippum Borbonium Andegavenſium Ducem, filium ſecundogenitum Ludovici XIV. Galliarum regis. Hinc lis, & bellum inter Philippum, & Carolum Auſtriae Archiducem. Poſt variam belli fortunam res inter eos ita compoſitae, ut regnum Neap. cum Sardinia Carolo; Hiſpanum Philippo; Siculum Victorio Amadeo Sabaudiae Duci cederet. Novo deinde exorto inter Philippum, & Carolum bello, res eo deducta, ut Sardiniam pro Sicilia Sabaudiae Dux, Neapolitanum, ac Siculum regnum Carolus VI. haberet.

Verum an. 1734. Carolus Borbonius Philippi V. ex Eliſabetha Farneſia filius Carolo VI. bellum indixit, regnumque Neap. ac Siculum in ſuam reduxit poteſtatem. Is ob mortem Ferdinandi fratris ad Hiſpaniarum regnum profecturus, Neapolitanum, Siculumque regnum renunciavit Ferdinando filio ſuo, qui paterna veſtigia ſecutus ſingulari pietate, ac juſtitia feliciter regnat, & amorem ſibi conciliat populorum.

Enarratis iis, quae ad Regum Neap. ſucceſſionem pertinent, age, quod inſtituti ratio poſtulat, videamus, quae ſub diverſis Principibus a Northmannis ad noſtra tempora regiminis forma obtinuit. Sane jus Northmannicum incertum initio fuit. Ubi vero Robertus Guiſcardus Apuliae, & Calabriae Dux renunciatus eſt, oppida, quae Graecis, ac Longobardis eripuit, opulentiora quidem ſibi retinuit, reliqua ſociis feudali

nexu & jurata fidelitate conceſſit, quorum pleroſque Comitis honore donavit. Hiſce porro Comitibus, & baronibus ſolos fundorum fructus reliquit, jurisdictionem & imperium denegavit, judicibus creatis, qui in facinoroſos animadverterent, & pecuniarias controverſias definirent. Inde porro factum, ut ſub Northmannici principatus incunabula quibuſdam baronibus de Principe bene meritis extra ordinem concederetur *bancus*, *& judex* i. e. bajulus, aut judex ex iis delectus, quos Princeps probaverat ad pecuniarias lites definiendas.

Ubi vero ad Rogerium regem rerum ſumma fuit delata, is Epiſcoporum, & Baronum comitiis Ariani habitis, fiſcalis pecuniae curam *Camarariis* demandavit, jus gladii per *Juſtitiarios* exerceri juſſit. Inde nova regni partitio enata in *Juſtitiariatus*, a juſtitiariis nomen ſortita (*a*). Ipſe Rogerius comitiis Panormi habitis, ex tribus magnis Curiis, Panormitana, Salernitana, Capuana, unam Panormi inſtituit, in qua ſeptem ſupremos magiſtratus, ſeptem *Regni Officia* dictos, ſedere cum baronibus, proceribus, praelatis, ſelectiſque judicibus voluit (*b*).

At Guilelmus I. quo certior cujuſque magiſtratus poteſtas foret, Juſtitiariis capitalia judicia adtribuit, Camararios de cauſſis civilibus, praeterquam de feudalibus, pro ſua juriſdi-

(a) *Romuald. Salernit. ad an* 1140.
(b) *P. Jannon. H. C. l.* 17. *c.* 5.

dictione ad requisitionem bajulorum, vel in ipsorum defectu, vel in appellationis judicio a sententia judicum cognoscere voluit (*a*). Fridericus vero II. Officialium officiis discretis, civilibus quaestionibus alios, criminalibus accusationibus alios praepositit; (*b*) judiciisque scripto fieri jussis, judiciarium ordinem accuratiorem, exactioremque constituit (*c*).

Ita quidem jus publicum sub Northmannis, Sueviscque fuit. Quod vero ad leges ab ipsis scriptas attinet, primus quidem legum lator Rogerius. Ejus exemplum sequuti Guilelmus I., Guilelmus II., quique omnium plurimas edidit leges, Fridericus II. Has leges in tres libros jussu Friderici collegit Petrus de Vineis clarissimus aetatis suae JCtus, easque ipse Fridericus confirmavit in comitiis Melphitanis an. 1231. promulgavitque sub nomine *Constitutionum Regni Siciliae* (1). His porro aliae Friderici constitutiones, reliquo Principa-

 tus

(a) *Const.* Officia *Const.* Officiorum periculosa confusio.

(b) *Const.* Non sine grandi.

(c) *Const.* Edictorum ordinem, *et seqq.*

(1) Codex Fridericianus graece redditus, ab incerto auctore fuit, fortasse ipsius Friderici jussu in commodum eorum, qui in regno Graece loquebantur. Hic autem codex ex exemplari, quod in Regia Parisiensi bibliotheca adservatur, descriptus in publicam tandem lucem ex Regio Neap. typographeo prodiit an. 1786.

tus ſui tempore editae, fuerunt adjectae à Taddaeo a Sueſſa, Roffredo Beneventano, Andrea ab Aeſernia, & Bartholomaeo a Capua, quae *Conſtitutio Nova* dici ſolent. Ceterum in ſuo codice Fridericus iis legibus locum eſſe noluit, quas aut Tancredus, aut Guilelmus III. ſcripſerunt, fortaſſe quia inter legitimos Principes ii ab ipſo non haberentur.

Licet autem Northmannorum Principum conſtitutionibus Neap. regni homines parere cogerentur, non defuere tamen, qui receptis moribus, quique jure Romano viverent. Inde porro cum maxima juris incertitudo manaret, Guilelmus I. magiſtratus reddere jus voluit ſecundum regni conſtitutiones, & in *defectu earum ſecundum conſuetudines adprobatas, ac demum ſecundum jura communia, Longobarda videlicet, & Romana, prout qualitas litigantium exegiſſet* (a). Et quamvis Fridericus II. juri Romano plurimum ſtuduerit, jus tamen Longobardicum adeo altas radices apud nos egit, ut ejus reliquiae ad ſeculum uſque XVI. perdurarint (b).

Ita quidem ſub Northmannis, Sueviſque Principibus jus reddebatur. Ubi regnum Carolo I. Andegavenſi ceſſit, ipſe nihil de veteribus magiſtratibus immutavit. At, amiſſa Sicilia, aliam Magnam Curiam Neapoli conſtituit. Tum ubi re-

(a) *Conſt.* Puritatem.
(b) *Affict. in cit. Conſt.* Puritatem.

regno abeſſe eum oportuit, Carolum filium Regni vicarium reliquit, eique adſeſſores primarios viros dedit. Inde orta *Magna Curia Vicarii*. Ea porro, procedente tempore, ſub Alfonſo I. Aragonio alteri Magnae Curiae adjuncta, Tribunal factum eſt *Magnae Curiae Vicariae*.

Regno ad Alfonſum Aragonium delato, Tribunal S. C. inſtitutum, Regia Camara in meliorem formam redacta, & Regiae Dohanae Apuliae jacta ſunt fundamenta. Sub eodem hoc Principe cum mercenarii militis uſus invaluiſſet, barones pro milite pecuniam ſolvere ſunt juſſi, quae recepto vocabulo *adoha* appellatur. Ne porro regio aerario detrimentum inferretur, ex decem carolenis in ſingulas domus imperatis, generalis bonorum omnium deſcriptio, quam *Cataſtum* vocant, imperata. At Ferdinandus I. cum artem ſerici, & lanificii huc introduxiſſet, artis utriuſque tribunalia conſtituit. Cum autem Ferdinandus Catholicus per Pro-reges apud nos regnaret, iis adſeſſores adeſſe voluit, ex quibus *Collaterale Conſilium* conflatum.

Denique ſub Carolo Borbonio, abolito Collaterali Conſilio, Regalis Camara S. Clarae fuit inſtituta. Tum negotiationi fovendae Tribunal *Commercii*, & Eccleſiaſticae potiſſimum immunitati cognoſcendae *Tribunal Mixtum* ab eodem providentiſſimo Principe excitatum.

Praeter tribunalia hucuſque memorata Ferdinandus IV. quem Deus ſoſpitet, lege lata an. 1783. ex Tribunali *Magni Admirati*, & Tribunali Conſulatus terrae & maris unum con-

fla-

ſlavit *Magni Admirati* nomine ; quaeque antea utriuſque tribunalis fuerat auctoritas , in ipſum tranſtulit . Eidem fauſtiſſimo Principi debemus extraordinaria conſilia , alterum gravioribus clericorum delictis puniendis , alterum abuſibus extirpandis inſtitutum . Ejuſdem etiam providentia conflatum Tribunal *Audientiae Generalis* pro militibus ſagatis, & palatinis.

Jam vero Andegavenſes Principes plerique omnes apud nos leges tulere . Iis ſane debentur *Capitula* (1), *Conſuetudines Neapolitanae* (2), & *Ritus* M. C. Vicariae (3) . At Aragonii ,

Au-

(1) Vox *capitulum* apud medii aevi ſcriptores *conventum* ſignificat . Cum porro Reges Francorum leges in conventu procerum , & Antiſtitum ferre conſueverint , cumque hujuſmodi morem Andegavenſes huc e Gallia attulerint , ſuis legibus *Capitulorum* nomen fecerunt . Leges , ſeu capitula apud nos tulere Carolus I. Carolus II. Robertus, Carolus Calabriae Dux , Joanna I. & Ladislaus . Ea privata auctoritate ab incerto auctore collecta fuere , nullo temporum , & rerum ordine ſervato.

(2) *Conſuetudines* Neap. ſunt recepti mores longo utentium uſu firmati . Eae cum ob incertitudinem ſuam judiciis impedimento eſſent , juſſu Caroli II. a Philippo Minutulo , & XII. probatiſſimis viris collectae, a Bartholomaeo autem de Capua perpolitae , & ab ipſo Carolo II. confirmatae fuerunt an. 1306.

(3) Ritus M. C. V. ordinem judiciorum potiſſimum ſpectabant . Eos in pluribus articulis emendavit Joanna II. novis pleriſque additis , quos deinde in unum codicem redactos promulgavit , & in M.C. ceteriſque Regni tribunalibus ſervari juſſit.

Auſtriaci, & Borbonii reges, quas tulerunt leges, *Pragmaticas* dixere (1). Ipſis quoque debentur *Gratiæ*, & *privilegia* urbis, & regni Neapolitani (2). Huc etiam referri poſſunt *Reſcripta*, & Regiae *literae*, quas Neap. Principes, potiſſimum Carolus Borbonius, & Ferdinandus filius P. F. A. ſcripſerunt, ſive per libellos, ſeu per magiſtratuum relationes aditi. Hujuſmodi autem reſcripta cum in amplam molem excreviſſent, pluribus voluminibus per Didacum Gatta collecta prodierunt. Sed plura adhuc extra collectionem vagantur.

Iam vero quaecumque manent receptis moribus comprobata, *conſuetudines* dici ſolent. Eae porro vel *generales* ſunt, vel *ſpeciales*. Generales videri debent, quae ubique in Regno obtinent. Hujuſmodi cenſentur res perpetuo ſimiliter judicatae, quae ex reſcripto Severi Imperatoris vim legis obtinent, uti refert Calliſtratus (*a*). His quoque accenſeri debent Ritus Re-

(1) De hoc vocabulo vid. Cujac. ad rubr. Cod. *de Div. reſcript.* Pragmaticae ab initio Ritibus M. C. ſubnecti coeperunt; tum privata auctoritate in unum codicem abierunt.

(2) Quae ab Alfonſo I. Ferdinando I. Alfonſo II. Ferdinando Catholico, Carolo V. & Philippo II. plurima Civitati, regnoque Neap. indulta ſunt, in unum volumen opera Nicolai de Bottis collecta prodierunt an. 1558. Quae vero idem Philippus II. Philippus III. Philippus IV. & Carolus VI. indulſere, an. 1719. altero volumine ſunt edita.

(*a*) *L. Nam Imperator.* 38. *ff. de Leg.*

Regiae Camarae (1), ab Andrea Aeſernino ; & ejuſdem Camarae *Arreſta* (2) ab Antonio de Marinis collecta. Speciales vero conſuetudines ſunt, quae in certis tantum civitatibus inoleveruut. Earum porro quaedam nudis moribus adhuc conſtant ; quaedam in ſcriptum redactae ſunt ad amovendam juris incertitudinem. Ita ſcriptae ſunt conſuetudines Averſanae, Capuanae, Cajetanae, Amalphitanae, Barienſes, quaeque aliis omnibus praeſtant, Neapolitanae. Atque haec de ortu, & progreſſu Neapolitani juris delibaſſe ſufficiat.

JU-

(1) Ritus Regiae Camarae nihil aliud ſunt, quam certae regulae de iis rebus, quae ad Regiae Camarae curam pertinent. Ii partim ex Friderici II. conſtitutionibus, partim ex uſu, & moribus a Magiſtris Rationalibus receptis coaluerunt.

(2) Arreſta ſunt ipſius Regiae Camarae definitiones Ritibus opportune adjecta.

JURIS NEAPOLITANI

LIBER I.

TITULUS I.

De Jure Perſonarum.

SUmma hominum diviſio quemadmodum ex jure Romano; ita & ex Neapolitano in *liberos* eſt, ac *ſervos*. De ſervis mentio occurrit in conſtitutionibus Regni Siciliae; in poſterioribus Regni legibus eorum nomen nusquam legitur. Binae autem conſtitutiones ad ſervos pertinent, altera Guilelmi, altera Friderici II. Edixit Guilelmus (*a*), ut ſervi fugitivi ſi ab aliquo capti forent, domino ſtatim reſtituerentur: ſi dominus ignoraretur, loco-

(a) *Conſt.* Servos. *de ſervis & ancill. fugitiv.*

Regiae Camarae (1), ab Andrea Aeſernino ; & ejuſdem Camarae *Arreſta* (2) ab Antonio de Marinis collecta. Speciales vero conſuetudines ſunt, quae in certis tantum civitatibus inoleveruut. Earum porro quaedam nudis moribus adhuc conſtant ; quaedam in ſcriptum redactae ſunt ad amovendam juris incertitudinem. Ita ſcriptae ſunt conſuetudines Averſanae, Capuanae, Cajetanae, Amalphitanae, Barienſes, quaeque aliis omnibus praeſtant, Neapolitanae. Atque haec de ortu, & progreſſu Neapolitani juris delibaſſe ſufficiat.

JU-

(1) Ritus Regiae Camarae nihil aliud ſunt, quam certae regulae de iis rebus, quae ad Regiae Camarae curam pertinent. Ii partim ex Friderici II. conſtitutionibus, partim ex uſu, & moribus a Magiſtris Rationalibus receptis coaluerunt.

(2) Arreſta ſunt ipſius Regiae Camarae definitiones Ritibus opportune adjecta.

JURIS NEAPOLITANI

LIBER I.

TITULUS I.

De Jure Perſonarum.

SUmma hominum diviſio quemadmodum ex jure Romano; ita & ex Neapolitano in *liberos* eſt, ac *ſervos*. De ſervis mentio occurrit in conſtitutionibus Regni Siciliae; in poſterioribus Regni legibus eorum nomen nusquam legitur. Binae autem conſtitutiones ad ſervos pertinent, altera Guilelmi, altera Friderici II. Edixit Guilelmus (*a*), ut ſervi fugitivi ſi ab aliquo capti forent, domino ſtatim reſtituerentur: ſi dominus ignoraretur, loco-

(a) *Conſt.* Servos. *de ſervis & ancill. fugitiv.*

corum bajulis offerrentur, a quibus tranſmitterentur ad M. C. Id ni factum, poenae Curiae eos cum omnibus bonis ſuis ſubjacere voluit, bajulis eamdem poenam laturis, niſi hujuſmodi ſervos ad M. C. transmiſerint. Fridericus vero ſervos fugitivos ad M. C. a bajulis transmiſſos per annum dominorum commodis reſervari; quod ſi intra annum dominus non comparuerit, fiſci utilitatibus eos aggregari voluit (*a*). Sed ſervitus dudum abolita in his diutius nos immorari non ſinit.

Quod vero ad adſcriptitios, qui ſequiore aevo *villani* audiebant, cavit Rogerius, ne quis Epiſcopus ſine dominorum voluntate eos ordinare praeſumeret, niſi Eccleſiae ruralis, vel vicanae neceſſitas aliud poſtulaſſet: qua ſane in ſpecie dominus adſcriptitium Eccleſiae dare cogetur; filii vero adſcriptitii ordinati adſcriptitiorum conditionem retinebunt (*b*). Benignior tamen Fridericus II. eos tantum villanos clericari prohibuit, qui *perſonaliter intuitu perſonae ſuae ſervire tenerentur*: qui vero *reſpectu tenimenti, vel beneficii* ſervire deberent, eos ad ordinem clericatus etiam ſine dominorum voluntate accedere permiſit (*c*). Idem porro Fridericus conſtitutione lata vetuit, ne, re-

(a) *Conſt.* Mancipia. *de Mancip. fugitiv.*
(b) *Conſt.* Adſcriptitios. *de vaſall. non ordinand.*
(c) *Conſt.* Errores. *de His, qui debent accedere ad ord.*

relicto veteri incolatu, adſcriptitii vel e demanialibus locis, vel e terris Eccleſiarum, Comitum, & baronum, in quibus de perſonalibus ſervitiis tenerentur, diſcederent. Si ſecus factum, ad terram dominorum ſuorum eos redire juſſit (*a*). Sed adſcriptitiorum hodie nulla ſuperſunt veſtigia; atque Angariis, & Parangariis Friderici conſtitutionem accommodare humaniores hodierni mores non ſinunt (1).

De piratis autem apud nos captivis pleraque a Neap. Principibus conſtituta ſunt. Sane nemini licet, ſive in urbe, ſeu in Campania hujuſmodi ſervos ſine venia Principis, in provinciis vero ſine regiae Audientiae, vel Gubernatoris permiſſu emere. Itidem ſi quis ſine Principis venia eoſdem ſervos alienaverit, 100. unciarum poena multari eum placuit (*b*). Quin & poena publicationis ſervorum iis indicitur, qui eos extra regnum ſine regis venia exportarint (*c*); & capitali ſupplicio in nautas animadvertitur, qui hujuſmodi ſervos fugitivos tranſ-

(a) *Conſt.* Quisquis de burgenſibus, *de Revoc. tranſeunt ad alien. habitat.*

(1) Andreas Æſerninus, Afflictus ad Conſt. *Quiſquis de burgenſibus*, & deciſ. 265. Urſillus ibid. n. 77. aliique putarunt, vaſſallos angarios, & parangariós alio domicilium transferentes poſſe a barone ad feudum revocari. Id quanti faciendum, diſputare non vacat.

(b) *Pragm. IV. de Serv. manumiſs.*

(c) *Pragm. 3. de Extract. animal.*

tranſvectaverint, quique ipſis opem tulerint: triennalem triremium poenam iis ſubituris, ſi qui nocturno tempore a navibus vela, remoſque non detraxerint, eaſque apte non cuſtodiverint (*a*). Praeterea qui ex hujuſmodi piraticis ſervis fuerint manumiſſi, intra decem a manumiſſione dies in Regia Cancellaria ſuam manumiſſionem oſtendere debent, nomen, cognomen, patriamque profeſſi. Id niſi fecerint, poenae triremium ſubjicientur (*b*). Iidem porro libertatem, quam per manumiſſionem adquiſiverint, amittent, ſi ſine Regis venia hinc diſcedere adnitantur, poena centuſſium mille adverſus eos Officiales conſtituta, qui hujuſmodi libertinos non detinuerint (*c*). Poſtremo piratica mancipia, etiamſi baptiſmo fuerint luſtrata, quaelibet arma ſive in urbe, ſeu in Regno deferre prohibentur, poena amiſſionis armorum, & triremium contra eos ſtatuta, ſi qui contra edictum fecerint (*d*).

TITULUS II.

De Clericis, eorumque juribus.

QUidam in civitate *clerici* ſunt, quidam *laici*. Clerici in ſortem domini vocati ſacris ope-

(a) *Pragm.* 2. *de Nautis &c.*
(b) *Pragm.* 2. *de Servis manumiſs.*
(c) *Pragm.* 5. *de Serv. manumiſſ.*
(d) *Pragm.* 3. *eod.*

operantur. Laici temporalibus negotiis vacant. Cum porro clerici non desinant inter cives censeri, manifesti juris est, eos tam scriptis, quam non scriptis legibus subesse oportere (*a*).

Non omnibus in civitate clericos esse licet. Ita unigenae inter clericos cooptari prohibentur: quod & ad eos productum est, qui tonsura, & minoribus ordinibus initiati morte fratrum uni supersunt (*b*). Id inde factum, ne multiplex stirps pereat, & familiae intereant (*c*), Item a clero arcentur, qui populo inutiles sunt, ac superflui. Hinc Episcopis ordinare presbyteros vetitum, nisi ratione unius presbyteri in singula civium centena. (*d*) Quod & locum habere praescripsit Ferdinandus IV. etiamsi quis ad Cappellaniam aliquam jus habeat (*e*). Ea tamen lege Regulares non continentur, ad quos scilicet animarum cura non pertinet (*f*). Praeterea ordines suscipere vetantur, qui ob grave aliquod delictum in jus vocati seculari judici adhuc subjecti sunt (*g*).

Porro duo apud nos potissimum requiruntur, ut quis ad ordinem promoveri possit. Primum

(a) *Collect. reg. litt. P.* 1. *tit.* 64. *litt.* 9.
(b) *Ibid. t.* 12. *litt.* 8. *ann.* 1758.
(c) *Ibid. litt.* 3. 4. *et* 7. *an.* 1742. 1752. 1757
(d) *Ibid.* 14. *an.* 1771.
(e) *Ibid. litt.* 15. *an.* 1772.
(f) *Ibid. litt.* 20. *et* 21. *ann.* 1774.
(g) *Ibid. litt.* 1. *an.* 1734.

oportet, eum habere titulum seu Ecclesiastici *beneficii*, seu perpetuae *cappellaniae*, seu, si id Ecclesiae utilitas, vel necessitas postulet, perpetuae Ecclesiasticae *pensionis*, seu *sacri patrimonii*, quod ajunt. Patrimonium autem constitui debet in rebus soli sine fraude; ejusque summa ex usu cujusque dioecesis definiri debet; modo tamen non sit infra centusses annuos 24. nec ultra 40. Illud autem certum est, bonorum patrimonialium aestimationem ad publicum censum exigi debere, ne fraus legi fiat. (*a*) Ceterum patrimonio ei assignato, qui ordinibus initiari velit, aequalis paternorum bonorum portio ceteris fratribus, ac sororibus reliqua sit, oportet. Si secus factum, Episcopi, qui adversus legem moliti sunt, de suo debebunt damna fratribus, ac sororibus reparare (*b*).

Alterum, quod ad Clericorum ordinationem requiritur, illud est, ut clericus a decimo aetatis anno in aliquo clericali Seminario commoretur, vel alicui Ecclesiae ex Episcopi venia per triennium clericali veste inserviat. Tantum *arctatis* triennalem hujusmodi probationem remitti placuit. *Arctati* dicuntur, qui jure patronatus ad aliquod Ecclesiasticum beneficium, vel vacantem Cappellaniam vocantur; sive

(a) *Collect. reg. litt. P. 1. tit. 12. litt. 9. an. 1758. et litt. 10. an. 1759.*

(b) *Ibid. litt. 19. an. 1774.*

ſive ii jus *paſſivum* patronatus habeant, quo ad beneficium deſignari debent; ſive ex familia ſint patronorum, ad quos *activum* jus pertinet; modo intra legitima tempora *nominationem* ediderint: quod ex ſententia Tribunalis Mixti reſcripſit Ferdinandus IV. (*a*) Ceterum ſi, Epiſcopali ſede vacante, ad beneficium, vel Cappellaniam quis vocetur, Vicarius Capitularis cum conſenſu Capituli laicis *arctatis*, & clericis ad beneficium, quod actu certum ordinem requirit, praeſentatis, *dimiſſoriales* litteras dabit intra annum luctus Eccleſiae; dummodo tamen hujuſmodi homines a defuncto Epiſcopo non fuerint ab ordinatione excluſi. Qui vero arctati non ſunt, intra annum luctus Eccleſiae nullo pacto ſuſcipere ordines poſſunt; poſt annum vero non admittuntur, niſi Congregatio Concilii nominatim veniam indulſerit. Si ſecus factum, clericus ab ordine ſuſcepto perpetuo ſuſpenſus manebit; qui vero ordines contulerit, quive litteras dimiſſoriales dederit, ſi Epiſcopus fuerit a collatione ordinum, & uſu Pontificalium per annum prohibebitur; ſi vero Praelatus inferior, ſuſpenſione a Pontificalibus perpetua plectetur. Ubi porro hujuſmodi Praelatus Pontificalium uſu careat, in praeſenti ſpecie poenam perpetuae ſuſpenſionis ab ordinis, & officii exercitio ſubibit (*b*).

(a) *Collect. reg. litt. P. 1. tit. 29. litt. 1. an. 1753.*
(b) *Concord. cap. IV. §. 9. & 10.*

Haec quidem ad clericorum ordinationem pertinent. Plura tamen sunt, quae ipsis privilegii nomine contulere Principes. Eo refertur exemtio a publicis muneribus, & a publicorum magistratuum jurisdictione ipsis concessa, necnon a tributis immunitas ipsorum bonis indulta: quae omnia *personalis*, & *realis* immunitatis nomine designari solent. Ex personali quidem immunitate descendit, ut clerici militiae nomen profiteri non possint (*a*). Iisdem magistratu fungi, & jus dicere vetitum a Friderico II. ipsis publicatione bonorum, si contra fecerint, indicta (*b*). Quin & universitatum administratione, & quarumlibet publicarum rerum cura ipsis interdictum (*c*); ut neque tabelliones (*d*), neque aestimatores esse queant (*e*); nec pro aliis apud publicos magistratus postulare, aut alienis litibus vigilare, procuratorisve munus obire (*f*) (1). Tantum petentibus consilium dare

(a) *Prag. 6. §. 5. de Re militar.*

(b) *Const.* Clerici, *Ut clerici.*

(c) *Collect. reg. litt. P. I. t. 47. litt. 2. & 7.*

(d) *Const* Instrumentorum robur. *de Fide & auctorit. Instrum.*

(e) *Collect. reg. litt. P. I. t. 47. litt. 5. an. 1745.*

(f) *Prag. 4. de Postul.*

(1) Imo & barones, qui hujusmodi personas, etiamsi ex ordine Hierosolymitano fuerint, juri dicundo praefecerint in feudis, poenae centussium decem millium subjicientur. *Pragm. un.* de Ecclesiast. Person.

dare, & litigatorum jura ſcripto defendere non prohibentur (*a*) & in *cauſis propriis, conſanguineorum, vel adfinium; item in cauſis Eccleſiarum, ac miſerabilium perſonarum ſine pretio poſtulare* poſſunt (*b*).

Jam vero, quidquid Romani, & Longobardi juris fuerit circa perſonalem clericorum immunitatem, ſane Nortmanni Principes Caroli M. hac in re exemplum ſequuti Clericos *ab Eccleſia, & in Curia Eccleſiaſtica* judicari voluerunt (*c*). Tantum ſi quis de proditione foret appellatus, vel de alio magno hujuſmodi maleficio, quod ad majeſtatem ſpectaret; apud regios magiſtratus eum judicari juſſerunt (*d*). Tum Carolus II. Andegavenſis clericos ad ſecularia judicia niſi pro bonis feudalibus trahi vetuit (*e*). Cum porro hujuſmodi perſonalis immunitas uberrima eſſet inter utramque Sacerdotii, & Imperii poteſtatem diſcordiarum ſeges, tandem per pacta inter Carolum Borbonium, & Benedictum XIV. conventa eo res rediit, ut clerici in omnibus judiciis, tam civilibus, quam criminalibus fori privilegio uterentur. Ab eo tamen privilegio excludi placuit cle-

(a) *Collect. reg. litt. P. I. t.* 47. *litt.* 11. *an.* 1771.
(b) *Conſt.* Advocatos, *de Praeſtat. ſacram. ab Advocat.*
(c) *Conſt.* de Perſonis, *Ubi Clericus &c.*
(d) *d. Conſt. eod.*
(e) *Capit.* Item ſtatuimus, *de non trahend.*

clericos *assassinii* reos, quos judex laicus comprehendere poterit, & detinere; modo in eos non animadvertat, donec *actis* intra quadrimestre spatium confectis, & Tribunali Mixto oblatis, ab eo fuerit declaratum de qualitate *assassinii* (a). Itidem fori privilegium eis denegatum, qui majestatis, alteriusve gravioris criminis arcesserentur (b). Ceterum si quis in fraudem vectigalium merces asportaverit, (vulgo in *contrabanno*) mercibus quidem amissis, ipse liber abibit (c).

Porro pleraeque in jure Neapolitano causae recensentur, ex quibus clericos ad laicos magistratus adire oportet (1). Ita quidem res se habet in causis feudalibus, (d) in causis retractus ex jure *congrui*, (e) in causis de hereditatibus, fideicommissis, aliisque, quae ex testamento, vel ex hereditate descendunt (f), in judiciis

(a) *Concord. cap. 3. n. 3.*
(b) *Const. de* Personis. *Ubi Clericus &c.*
(c) *Concord. d. c. 3. n. 4.*
(1) Si clericus apud laicum judicem conveniatur, & se clericum esse excipiat, exceptionem apud laicum judicem probare debet. Id ex Ritibus M. C. apud nos receptum; licet Bonifacius VIII. cap. *Si judex* 12. de sentent. Excommunicat. in VI. secus edixerit. Vid. Rit. M. C. 65. & 235. Quin pendente *facti* quaestione, clericus reus in Curia laicali recte detinetur. *Tapia in Jur. Reg. Neap. lib. 1. de Episc. & Cleric. in adnot. ad Rit. 235.*
(d) *Capitul.* Item statuimus 94.
(e) *Collect. reg. litt. P. 1. tit. 64. litt. 4. an. 1762.*
(f) *Ibid. litt. 11. an. 1771.*

ciis mutuae petitionis, ſeu reconventionis apud eumdem judicem, ne cauſa dividatur (*a*). Idem ſervari placuit in novi operis nunciatione (*b*), in cauſa *ſpolii*, in judicio tutelae, curationis, & in ratiociniis ob adminiſtrationem publici alicujus muneris (*c*). Quin & ad laicos magiſtratus pertinent clericorum cauſae de litteris collybiſticis, quaeque negotiationem reſpiciunt (*d*). Poſtremo coram laicis magiſtratibus conveniuntur clerici, ubi petitorio, vel poſſeſſorio judicio in rem agitur (*e*), ubi merces pro operis locatis petitur, & in cauſa aeris alieni (*f*). Illud autem certum eſt, executionem in res, vel in perſonam clerici ex Epiſcopi mandato fieri oportere; quod nullo pacto denegari ab eo poteſt (*g*).

Non ſolum autem clericis ſeu majoribus, ſeu minoribus, qui ad normam ſacrorum canonum vivant perſonalis immunitas indulgetur; ſed etiam Epiſcoporum apparitoribus (*Curſores* vocant) modo intra numerum ſint, & ſuum mandatum,

(a) *Rit. M. C.* Item quod ſi clericus *tit. Quod teſtetur Clericus*.

(b) *Collect. reg. litt. P.* 1. *tit.* 64. *lit.*7. *an.*1765.

(c) *Collect. reg. litt. P.* 1. *tit.* 66. *litt.* 9. *an* 1758.

(d) *Collect. reg. litt. P.* 1. *tit.* 64. *litt.* 10. *an.* 1770.

(e) *Ibid. P.* 1. *tit.* 64. *litt.* 13. *an.* 1772.

(f) *Ibid. P.* 1. *tit.* 64. *litt.* 6. *an.* 1765.

(g) *Ibid. P.* 1. *tit.* 64. *litt.* 2. *an.* 1762.

nomenque in Urbe Regenti M. C. V. & in Provinciis Praesidibus ediderint. Hujusmodi autem personale privilegium ipsis non competit, ubi de crimine quaeratur, cujus poena capitalis sit, vel triremium (*a*). Praeterea eodem privilegio gaudet Episcopalis curiae Cancellarius, seu Actorum Magister. Denique idem privilegium clericis conjugatis ita indultum, ut tantum in causis criminalibus, quae criminaliter aguntur, apud judices Ecclesiasticos conveniantur, in ceteris vero laicis judicibus subsint. Conjugati autem clerici privilegio utentur, dummodo ea omnia servent, quae Tridentini Patres edixerunt (*b*).

Praeter immunitatem personalem, clericis tributum fuit, ut a publicis vectigalibus forent immunes. Quidquid hac de re veteres Principes edixerint, sane sub Northmannis, & Suevis Regibus Clerici ad fiscales collationes aeque ac laici fuerunt obligati. Primus Carolus II. Andegavensis jussit, clericos, *qui clericaliter viverent, non cogi communicare cum aliis in collectis, & exactionibus aliis quibuscumque, nec pro bonis Ecclesiasticis, nec pro patrimonialibus, de portionibus eos legitime contigentibus* (*c*). Hisce autem verbis in iis tantum rebus

(a) *Concord. Cap.* 3.

(b) *Concord. Cap.* 3. *Conc. Trident. Sess.* 23. *de Reformat. c.* 6.

(c) *Cap.* Item statuimus *tit. Quod Clerici clericaliter*

rebus clericos immunes Carolus esse voluit, quae legitima successione ipsis obvenissent: quae vero ex alio titulo ad ipsos forent delata, ea fiscalibus functionibus obnoxia reliquit. Quod sane luculentissime declaravit Ferdinandus Aragonius, ubi edixit, clericos fiscalibus praestationibus teneri pro omnibus bonis, praeterquam pro Ecclesiasticis, & patrimonialibus de portionibus eos legitime contingentibus (*a*).

At multae clericorum ea in re fraudes eo rem deduxerunt, ut tandem per pacta conventa inter Carolum Borbonium, & Benedictum XIV. iis occurri oportuerit. Itaque constitutum, ut clerici perinde, ac laici censum, & tributa pendant. Tantum immunia ea bona esse placuit, quae *sacri patrimonii* nomine clericis pro honesta exhibitione destinantur; modo hujusmodi patrimonii fructus summam ducatorum 40. non excedant. Ea porro exemtione clerici fruentur, ex quo subdiaconi fuerint creati (*b*).

Quod vero ad immunitatem a vectigalibus (*franchigiam* appellant) de ea ita fuit cautum, ut Episcopis, ceterisque Ecclesiarum Praelatis tribueretur, habita ratione redituum, familiarum, & eleemosynarum, quas de more erogare solent. Clericis vero, ex quo subdiaconatum susceperint, immunitas praestatur quotan-

(a) *Pragm. 2. de Cleric. seu Diacon. silvat.*
(b) *Concord. c. 5.*

tannis ſex modiorum farinae; & Regularibus utriuſque ſexus, modo ſecundum ſuam regulam vivant, quinque modiorum immunitas indulgetur; quo ſane loco habentur *Novitii*, quique *Tertiarii* vulgo dicuntur. Idem ſervari placuit circa eos, qui in Seminariis degunt, ut ſingulis immunitas praeſtetur in quinque farinae modios. Clerici autem *ſilvatici*, quaeque *moniales ſeculares* dicuntur (vulg. *Bizzocche*) non ſecus, ac laici, vectigalibus obligantur (*a*).

TITULUS III.

De Filiisfamilias.

QUae de patria poteſtate, ac de jure filiorumfamilias praevertimus in Jure Romano, ea ferme omnia paſſim apud nos obtinent. Duo tantum ſunt, de quibus aliter a Romano jure edixere Neapolitani Principes, de Nuptiis nimirum, ac de Contractibus filiorumfamilias. Omiſſis itaque ceteris omnibus, duo iſthaec patrii juris capita perſequemur.

Ex jure Romano nuptiae a filiisf. ſine patris conſenſu initae *juſtae* non habebantur (*b*). Id veteri Eccleſiae diſciplina receptum (*c*). Eccleſia enim a legum civilium ſcitis non re-

ceſ-

(a) *Concord. cap. 1.*
(b) *l. Nuptiae 2. ff. de R. N.*
(c) *Can. un. C. 32. q. 3.*

ceſſit olim; ubi de nuptiarum firmitate quaerebatur; cum ſacramenti materia ex juſto nuptiarum contractu coaleſcat. Hinc ſeu Leo M. ſive Auguſtinus apud Gratianum nuptias celebrari jubet ſecundum leges, & Evangelium (*a*). Sed temporis lapſu ex juris Longobardici fortaſſe rationibus (*b*) nuptias ſine parentum conſenſu contractas quam vis Eccleſia ſemper deteſtata ſit; tamen irritas non cenſuit, neque liberos ex iis procreatos illegitimos pronunciavit (*c*). Cum porro ob nuptias, *invitis* parentibus, *initas*, plerumque diſſidia *in* familiis excitarentur, Regio reſcripto apud nos an. 1769. cautum, ne per Parochos filiorumf. ſponſalia inirentur, niſi de conſenſu parentum per ſcripturam conſtaret (*d*). Parentum vero nomine ii intelliguntur, qui patria poteſtate utuntur in ſponſos. Tum pragmatica ſanctione fuit conſtitutum, ut omnes filiif. ſeu in poteſtate poſiti, ſive emancipati, ſine expreſſo parentum, eorumque, qui parentum loco ſunt (1), conſenſu nuptias non contra-

(a) *Can.* 4. C. 30. Q. 5.
(b) *L. L. lib.* 2. *t.* 2. *l.* 2. & 3.
(c) *Conc. Trident. Seſſ. XXIV. de Reform. cap.* 1.
(d) *Collect. reg. lit. P.* 1. *tit.* 14. *litt.* 2. *an.* 1769.
(1) Licet mater, fratres, patrui, loco parentum non ſint, ſi ex matrimonio cum perſona turpi inundo dedecus ipſis inferatur, poterunt adverſus illud obniti. *Reg. lit. P.* 1. *t.* 13. *litt.* 14. *an.* 1773. & contra turpe patris matrimonium filii proclamare non prohibentur. *Ibid. litt.* 15. an. 1773.

trahant. Si ſecus factum, filios exheredes ſcribere, filiabus dotem denegare, parentibus licebit. Poenam autem ceſſare placuit, ubi maſculi poſt triceſimum annum, feminae poſt viceſimum quintum expletum nuptias inirent; modo cum perſona non inhoneſta, licet diſparis conditionis, ſe elocarent (*a*). Quod ſi vero ſine juſta cauſa a liberorum nuptiis diſſentiant parentes, Sacrum Conſilium interpellatum, cauſa cognita, eorum conſenſum ſupplebit; dummodo de ſingulis cauſis ad regem referat (*b*). Ceterum hujuſmodi conſenſus adeo neceſſarius eſt, ut, etiamſi filius paternae hereditati renunciet, vel miles ſit (2), ſine eo nuptias contrahere non poſſit (*c*).

Quod

(a) *Prag. un. de Matrim. a filiisf. contrah. an.* 1771

(b) *Collect. reg. litt. P.* 1. *t.* 14. *n.* 5. 6. *&* 8.

(2) Militibus matrimonia contrahere interdictum. Et Officiales (*Uffiziali*) quidem regis venia; ceteri ſeu accenſi (*Sargenti*) ſint, ſeu gregarii milites, tribuni militum permiſſu opus habent. *Reg. litt. P.* 1. *tit.* 15. *litt.* 1. *an.* 1749. Quas autem atteſtationes de *ſtatu libero* faciunt Cappellani militares, ab ipſis ſubſcriptae, ac ſigillo Curiae Cappellani majoris munitae fidem faciunt apud Curias Epiſcopales. Si qui vero milites extra regia caſtra degant, & matrimonium inire velint, poſt veniam rite impetratam, Parochi hujuſmodi matrimonio intervenient cum ipſo militari Cappellano. *Collect. reg. litt. eod. litt.* 2. *an.* 1765.

(c) *Collect. reg. litt. P.* 1. *tit.* 14. *litt.* 7, *&* 8.

Quod vero ad contractus attinet filiorumfamilias, licet jure Romano ex omnibus cauſis ipſi obligentur (*a*), praeterquam ex mutuo (*b*), & voto (*c*); tamen apud nos filiif. civiliter non obligantur, *niſi in praeſentia, & expreſſo conſenſu ipſorum patrum*. Quod ſi qui Notarii; vel Actuarii hujuſmodi obligationes conſcripſerint, privatione muneris, & centum auri unciis multati, aliis poenis ſubiicientur M. Curiae reſervatis. Tantum Notariis, Actuariiſque impune hac in re erit, ubi filiifamilias ab ipſis de ſuo ſtatu interrogati, ſe patresfamilias mentiti ſint (*d*). In hac autém ſpecie contractus filiorumf. irriti quoque cenſentur. Qui enim a filiof. deceptus eſt mentito ſe patremf., ſibi imputare debet ignorantiam ſuam (1). Quin eouſque id fuit receptum, ut ne falſi quidem crimine filiifamilias eo nomine teneantur; ne veluti obliqùa via ad filiorum contractus implendos patresf. obſtringantur (*e*).

Illud vero perperam dubitari video, an vali-

(a) *L. Filiusf. 39. ff. de Oblig. & Act.*
(b) *L. 1. ff. ad S. C. Maced.*
(c) *L. Si quis 2. §. 1. ff. de Pollicitat.*
(d) *Pragm. 1. ad S. C. Maced.*
(1) Id ſecus obtinet ex jure Romano, quo SC. Macedoniani exceptione uti nequit, qui ſe patremfamilias falſo aſſeruerit *l. 1. C. ad SC. Maced.*
(e) *Pragm. 63. §. ult. de Offic. Proc. Caeſ.*

lidam haberi oporteat obligationem a filiofamilias ſine conſenſu, & praeſentia patris initam, quam deinde ipſe paterfamilias ratam habuerit. Proſper Caravita, quique in ejus ſententiam iverunt, hujuſmodi obligationem nullam omnino putarunt; quia licet conſenſus per ratihabitionem ſuppleatur; praeſentia tamen, quae *copulative* cum conſenſu deſideratur, omnino abeſt (*a*). At cum certum ſit, nihil aliud per Pragmaticam definiri, niſi rationem, qua filiorumf. contractus per Notarios expediri oporteat, ſcilicet praeſentibus, & conſentientibus patribusfamilias; idque ea de cauſa factum ſit, ne parentes inviti, & inſcientes filiorum obligationibus obſtringerentur, ubi hujuſmodi conſenſus per ratihabitionem ſat probetur, non video, cur de ejus obligationis firmitate debeat dubitari.

Jam vero pleraeque ſunt ſpecies, in quibus Pragmaticae locus non eſt, quemadmodum & de SC. Macedoniano alias memoravimus. Ita quidem ceſſat Pragmatica, ubi filiif. juſſu patris ſe obligaverint; ubi a patre tabernae inſtitores, vel navi magiſtri fuerint praepoſiti (*b*); ubi pecunia ipſis credita, aliave res tradi-

ta

(a) *Caravita Comm. in Prag. 1. ad SC. Macedon.*
(b) *L. 1. ff. de Inſtit. Act. l. 5. ff. de Exerc. Act.*

ta in rem patris verſa ſit (*a*) (1). Quin & SCtum & Pragmatica locum non habebit, ſi pecunia juſſu patris filiof. fuerit credita, vel ipſi ſtudiorum, vel legationis cauſa data ſit. Quod tamen ita locum habet, *ſi probabilem modum* in mutuo filiusf. *non exceſſit*, i. e. *eam quantitatem, quam pater ſolebat ſubminiſtrare* (*b*). Praeterea Pragmaticam, non ſecus ac SC. ceſſare placuit, ubi filiusf. dotem ſorori promiſerit, & rem patris pro dote ſorori conſtituenda pignori dederit: *promittendo* namque *dotem omnes obligantur, cujuſcumque ſexus, conditioniſque* ſint (*c*). Itidem Pragmaticae auctoritas repetionem ejus pecuniae non impedit, quae a minore credita ſit filiofam. aetate majori: *magis enim aetatis, quam SC. rationem habendam,* re-

(a) *L.* 1. *ff. de In rem verſo.*

(1) Nonnulli putarunt, poſſe filiosf. renunciare beneficio Pragmaticae, renunciationemque valere, praeſertim ſi juramento firmetur. Verum cum *jusjurandum contra legem, & auctoritatem juris pronunciatum nullius ſit momenti* l. *Si quis* 112. §. 4. *ff. de Legat.* 1. l. *Non dubium* 5. *C. de Leg. & Conſt. Princip.* filiorumf. contractus a Pragmatica improbati, niſi fiant in praeſentia, & cum expreſſo conſenſu patrum, non poſſunt firmitatem accipere a juramenti religione; eo vel magis, quod inde patribusf. detrimentum inferetur, quibus leges proſpexerunt. Atque in hanc ſententiam S. C. definiviſſe, refert de Franchis *Deciſ.* 71.

(b) *L. Item* 7. §. 13. *ff. de SC. Maced.*

(c) *l. Promittendo* 41. *pr. C. de Jur. dot.*

reſpondit JCtus (*a*). Quin & Pragmaticæ beneficium filiof. non prodeſt, ubi is publice mercaturam exerceat (*b*). Denique ubi filiusf. ſeorſim a patre habitet, tacite ſcil. emancipatus, Pragmaticae beneficio juvari fruſtra poſtulat (*c*).

Illud quoque certum eſt, filiumf. Pragmaticae beneficio uti non poſſe, ubi in caſtrenſi, vel quaſi-caſtrenſi peculio ſe obligavit. Ceterum etiamſi hujuſmodi peculia habeant filiif., ſi quid ſerici, lanei, linei fuerit ipſis venditum, habita fide de pretio (vulgo a *credenza*), eos Macedoniani SCti beneficio juvari, juſſit Ferdinandus IV. (*d*) (1). Quin eo uſque adverſus hujuſmodi mercatorum uſurariam nequitiam proceſſit rex providentiſſimus, ut licet per litteras collybiſticas ſeſe hujuſmodi debitores obligaverint, irritos contractus, ac vacuas obligationes declaraverit (*e*),

H.

(a) *l. Verum* 11. §. 7. *ff. de Minor.*

(b) *l. Si quis* 3. *pr. &* §. 1. *ff. de SC. Maced. Pragm.* 3. *eod.*

(c) *Pragm.* 1. *eod.*

(d) *Pragm.* 2. *ad SC. Macedon. an.* 1766.

(1) Non modo filiifamilias, ſed & mulieres, pupilli, minores, & quicumque curatoribus ſubſunt, ſi quid a mercatoribus emerint, habita fide de pretio, poſſunt opponere SC. Macedonianum, vel Vellejanum. *Pragm.* 3. *ad SC. Maced.* Id autem ad eos contractus non debet produci, in quibus pecunia fuit numerata: in iis enim tantum laeſionis, vel doli mali exceptio datur contrahentibus.

(e) *Pragm.* 4. *ad SC. Maced. an.* 1771.

Illud quoque diſceptari ſolet, an ratus ſit contractus a filiof. in ejuſdem patris favorem initus, cui patris ipſius praeſentia, & conſenſus non defuit. Rovitus contractum a filiof. in patris favorem initum nullum eſſe cenſet (*a*); licet praeſentia, & conſenſus patris contractui non defuerit. Pragmatica enim non modo parentum, ſed & filiorum ſimul indemnitati proſpexit: in praeſenti autem ſpecie filiifamilias metu *reverentiali* plerumque compulſi cum maxima jactura ſua ſe obligare ſolent. Huc illud accedit, neminem poſſe auctorem fieri in rem ſuam (*b*). Ceterum ubi Pragmatica filiorumf. contractus infirmat, omnes profecto reſpicit, Quare nil refert, frugi ne ſit filiusfamilias, an prodigus, laicus, an clericus, privatus, an aliqua dignitate auctus (*c*).

TITULUS IV.

Quibus modis jus patriae poteſtatis ſolvitur.

PRraeter ea, quae de patriae poteſtatis diſſolvendae modis ex jure Romano alias enarravimus, nonnulla ſunt in jure patrio prodita, de quibus paucis diſputabimus.

(a) *Rovit. ad Pragm. 1. ad SC. Maced.*
(b) *L. 1. ff. de Auctor. Tutor.*
(c) *L. 1. §. 3. ff. de SC. Maced.*

Principio patria poteſtas quemadmodum jure Romano, ita & jure patrio ſolvitur emancipatione. Illud tantum inter emancipationem jure Romano conſtitutam, eamque, quae jure patrio recepta eſt, intercedit diſcrimen, quod illa ex Juſtiniani conſtitutione apud judicem competentem expediri debeat (*a*) (1); haec publico inſtrumento per regium Notarium coram Judice *ad contractus* peragatur. Ceterum nil quidquam refert, utrum emancipatio ſeparato inſtrumento expediatur, an in eodem inſtrumento cum contractu quolibet conjungatur (*b*). Cum porro emancipatio ſit actus legitimus, qui

(*a*) *L. Cum inſpeximus 6. C. de Emanc. liber.*

(1) Quod apud nos receptum, ut emancipationes ab regio notario expediantur coram Judice charıulario, id quidem a jure Romano parum abludit, Judex enim *ad contractus* in iis, quae voluntariae ſunt juriſdictionis, judicis competentis vice eſſe videtur. Omnes contractus apud ordinarios judices peragebantur olim; ii a ſcribis, & notariis, qui judiciariis actis conſcribendis praeſto erant, conſcribebantur. Augeſcente negotiorum mole, cum judices ordinarii omnibus expediendis negotiis non ſufficerent, diſtincti ſunt judices litibus judicandis ab judicibus, qui contractibus veluti comprobandis adeſſent; quemadmodum ſcribae, qui judiciaria acta litteris mandarent, diſtincti ſunt a notariis, qui contractus deſcriberent. Conſt. *In locis demanii*. Conſt. *Occupatis*.

(b) *Rovit. ad Prag. 2. de Juriſdict. invic. non turb. n. 56.*

qui diviſionem reſpuit, (*a*) ea ad unum actum a parentibus fieri nequit: quidquid nonnulli contra diſputent (*b*).

Non modo expreſſa, ſed etiam tacita emancipatione filiusfamilias patria poteſtate ſolvitur. Tacite filius emancipari videtur, ubi per ſeparatam a rationibus paternis oeconomiam ſuas ſibi res agit. Separata autem oeconomia intelligitur, qua filius diſtinctum patrimonium ſibi adminiſtrat. Quare hujuſmodi filiis, qui *habitent, & vivant ſeorſum ab eorum patribus cum uxoribus, & familia*, permittitur ſine patrum conſenſu contractus inire; qui alioqui ſine praeſentia, & conſenſu patrum facti irriti dicuntur. (*c*) Ceterum ad tacitam hujuſmodi emancipationem peragendam neceſſe non eſt, ut filius diverſas a patre aedes inhabitet. Tantummodo ſatis eſt, ſi patrimonium ſuum ſeorſim a rationibus paternis ſibi adminiſtret (*d*). Id a Leone Imp. conſtitutum olim fuit (*e*); ut proinde neque ex jure Longobardico, (*f*) neque ex Gloſſa (*g*), ſed ex Leonis Novella recepta

(a) *L. 77. ff. de R. J.*
(b) *De Franch. deciſ. 32. n. 13.*
(c) *Pragm. 1. ad SC. Maced.*
(d) *Novarius ad Pragm. 1. ad SC. Maced.*
(e) *Nov. 25. de Emancip. & dot. reſtit.*
(f) *Gloſſ. ad L. ſi filius 1. C. de Patr. poteſt.*

apud nos videatur tacita iſthaec emancipatio per ſeparatam oeconomiam (1).

Jam vero quod temporis ſpatium requiritur, ut filius per ſeparatam oeconomiam patria poteſtate ſolutus intelligatur, diſputant Pragmatici. Nonnulli Gloſſographos ſequuti decem, aut viginti annorum ſpatio tacitam emancipationem abſolvi cenſent (*a*). Verum cum neque in Leonis Novella, nec in patriis legibus quidquam ea de re ſit definitum, potius dixerim, filium e patria poteſtate exire, ſimul ac ſeparatam oeconomiam inſtituerit. Id Pragmaticae verbis fortaſſe magis conſonat, qua invalidae dicuntur obligationes filiorumfamilias, niſi praeſente, & conſentiente patre contractae; aut niſi filii fuerint emancipati, *ſeu habitent, & vivant ſeorſum ab eorum patribus cum eorum uxoribus*, & *familia* (*b*) (2).

Po-

(1) Quamvis autem filius per ſeparatam oeconomiam obligari queat; tamen in ceteris omnibus pro filiofamilias cenſetur. Hinc & teſtamentum facere non poteſt, & jura patrisfamilias, praeterquam in contractibus, non adquirit. *Novar.* ad Pragm. 1. ad SC. Maced.

(a) *Paſchalis de Virib. patr. poteſt cap. 6. Afflict. deciſ.* 137.

(b) *Pragm. 1. ad SC. Maced.*

(2) Huc referri poteſt emancipatio, qua filii *forojudicatorum* patria poteſtate liberantur. Forojudicati enim veluti aqua & igni interdicti, capite deminuti jus patriae poteſtatis amittunt. *De Franchis* deciſ. 213. *Menoch.* de Praeſumt. l. 5. 45.

Poſtremo ſolvitur patria poteſtas per filiaefamilias nuptias. Jure Romano quidem nuptiae patriam poteſtatem non perimunt. Proinde ſive mares, ſive feminae matrimonio collocentur, adhuc in ſacris paternis manent (*a*). Id jus in Regni Neap. provinciis obtinet. Verum in hac principe urbe ex receptis pridem moribus invaluit, *ut mulier, non obſtante, quod emancipata non fuerit, eo ipſo, quod nubit, fiat ſui juris* (*b*). Cum vero Conſuetudo nuptias tantum memoret; cumque nuptiae ſolo conſenſu perficiantur ex jure Romano (*c*), hinc ſimul atque per verba *de praeſenti*, ut ajunt, initae ſunt nuptiae, filiafamilias ſui juris fit. Quare neſcio quid ſibi velint Napodanus, Antonius de Alexandro, & Angelus Piſanellus (*d*), qui contendunt, virgines adhuc in capillo eas videri, quae, contracto rite matrimonio, nondum viri domum ſunt deductae; iiſque propterea in ſucceſſione feudorum juris Franci excludi ſorores natu majores, ubi hae conjugatae, & dotatae fuerint

(a) *L.* Si uxorem 5. *C. de Condit. inſer. l.* Patri 20. *ff. ad L. Jul. de adulter.*

(b) *Conſuet.* Sed & mulier. *de Filiaf. nub.*

(1) Filiaf. licet per nuptias patria poteſtate liberetur; tamen jus *ſuitatis* non amittit. Jure enim civili ſola emancipatione jus ſui heredis perimitur. Si qui ſunt alii modi patriam poteſtatem ſolvendi, ii jus ſui heredis non tollunt. *Nov.* 81. *c.* 2.

(c) *L.* Nuptias 30. *ff. de R. J.*

(d) *Ad Conſuet.* Sed & mulier.

rint de bonis paternis. (*a*) At cum nuptias conſenſus faciat, non concubitus, domumque deductio (*b*) (1); cumque *virgo in capillis* perperam ea dicatur, quae per verba *de praeſenti* rite nupſit, licet viri domum non adhuc traducta; profecto puella in paterna domo manens *eo ipſo, quod nubit*, i. e. per verba de praeſenti matrimonium contrahit, *fit ſui juris.*

Jam vero, ſoluto per mortem viri matrimonio, Neapolitanam puellam in parentis poteſtatem iterum reverti, putarunt poſt Napodanum Pragmatici fere omnes; in eamque ſententiam a S. C. judicatum olim, memoriae prodidit Thomas Grammaticus (*c*). Verum alii Afflictum ſecuti in alia omnia iverunt. Quidquid autem hujuſmodi controverſiarum ſit, illud explorati juris eſt, beneficium mulieri favore matrimonii collatum, ſoluto matrimonio eidem cohaerere (*d*); & patria poteſtate ſemel liberatam ſola adoptione in eamdem poteſtatem reverti poſſe (*e*).

Ceterum de ea ſpecie diſſident Interpretes, ubi

(a) *Conſt.* Ut de ſucceſſionibus. *De ſucceſs. nobil. in feud.*

(b) *l.* Nuptias 30. *ff. de R. J.*

(1) Mulieres conjugatae caput obnubebant: quae vero adhuc virgines domi erant, *in capillo* incedebant, i. e. non tecto capite.

(c) *Deciſ.* 54. *n.* 12.

(d) *Argum. l.* Filii 22. §. 1. *ff. ad Municip.*

(e) *l.* Qui liberatus 12. *ff. de Adopt.*

ubi extera mulier Neapolitano viro nubit: illam enim Neapolitanam veluti factam per nuptias patria potestate liberari, tradunt nonnulli. In eam porro sententiam trahunt Antonini, & Veri rescriptum (*a*), quo mulier, quamdiu nupta est, incola ejus civitatis dicitur, cujus maritus ejus est, & ibi, unde *originem trahit, non cogitur muneribus fungi*. Verum cum privilegium Neapolitanas mulieres tantum spectet; jus quidem civitatis per nuptias non adquirit mulier, sed id tantum consequitur, ut incola videatur ejus municipii, cujus vir ejus est. Id porro eo redit, ut muneribus personalibus apud incolatum mariti fungatur, patrimonii vero munera in loco, in quo possidet, sustineat. (*b*) In hanc sententiam discessit olim S. C. apud de Franchis (*c*).

TITULUS V.

De Minoribus.

JUre Romano pupilli, si mares forent, usque ad XIV. annum, si feminae, usque ad duodecimum expletum tutorum auctoritate regebantur. Post eam aetatem curatoribus suberant

(a) *l.* Imperatores *ult.* §. 3. *ff. ad Municipal. Vid. l.* Filii 22. §. 1. *ff. eod.*
(b) *l. Un. C. de Mulier. & in quo loc. mun.*
(c) *Decis.* 546. *n.* 30.

uſque ad annum XXV. expletum: quod cautum lege Laetoria, quae propterea *quinavicennaria* a Plauto appellatur (*a*). At Longobardi maſculos, ac feminas duodeviceſimum annum egreſſos perfectae aetatis cenſuerunt, ante eam aetatem eos ſibi res ſuas gerere noluerunt, niſi aut judicis, aut ejus auctoritate, qui a judice ad id deligeretur. Apud ipſos porro cum pupillorum, minorumque tutela ad Principem pertineret, nemo tutelam etiam teſtamentariam ſuſcipere poterat, niſi a Magiſtratu veluti vice ſacra confirmatus. (*b*) Cum vero jus Longobardicum jus commune apud nos evaſerit, hinc minorum aetati annus decimus octavus veluti terminus fuit praeſtitutus. Id primum ex jure Longobardico moribus veluti receptum, lata deinde lege a Friderico II. fuit confirmatum (*c*). Ceterum hac Friderician conſtitutione in eo tantum juri Romano derogatur, quod minores perfectae aetatis ſtatuuntur poſt annum 18. expletum, in reliquis vero jus Romanum neutiquam immutatur.

Jam vero minores alii ſunt burgenſes; alii feudatarii. Feudatariis minoribus dantur Balii, de quibus in Inſtitutionibus feudalibus diſputabimus: ceteris dantur curatores. Minores autem curatoribus apud nos liberantur, ubi ad per-

(a) *Plaut. Pſeud.* 1. 3.
(b) *Vid. Car. Ant. de Roſ. Prax. civil. c.* 7. *n.* 32.
(c) *Conſt.* Minorum jura. *de Reſtit. Minor.*

perfectam aetatem pervenerint i. e. 18. annum evaserint. Licebit etiam ipsis, antequam majores fiant, aetatis veniam impetrare. Scilicet jussit Constantinus, omnes adolescentes, qui paternam frugem, vel avorum patrimonia gubernare cupiunt, si mares fuerint, post vicesimum, si feminae, duodevicesimo anno expleto, aetatis veniam a Principe exorare posse. Eo principali beneficio magistratui oblato, annorum numerum, morum instituta, & testimonium vitae honestioris eos edocere voluit, ut perfectae aetatis constituti rerum administrationem susciperent (*a*) Hujusmodi aetatis venia cum ordinariae jurisdictionis non sit, olim per Collaterale consilium ab eo impetrabatur, qui vice sacra agebat. Hodie vero nonnisi a Rege vix unius anni venia exoratur ex relatione seu Regalis Camerae S. Clarae, seu S. R. Consilii, seu M. C. Vicariae. (*b*)

Venia aetatis impetrata, si minus idonee rem suam administraverit adolescens, restitutionis auxilio juvari frustra petit; ne hi, qui cum eo contrahunt, principali auctoritate circumscripti esse videantur, ut ait Aurelianus (*c*). Quamvis vero hujusmodi adolescentibus admi-

ni-

(a) *l.* Omnes 2. *pr.* & §. 1. *C. de His, qui ven. aetat.*

(b) *Collect. reg. litt. part.* 2. *t.* 44. *litt.* 1. & *t.* 95. *litt.* 1.

(c) *l.* 1. *C. de His, qui ven. aetat.*

niſtratio rerum ſuarum permittitur; iis tamen res ſuas immobiles nec alienare, nec hypothecae ſubjicere ſine magiſtratus decreto licet; ut ſimilis ſit in ea parte conditio minorum omnium, ſive petita ſit, ſive non, aetatis venia (*a*). Quin & illud cavit Juſtinianus, ut, ſi quid minori, vel a minore debeatur, ubi *perfectae aetatis* is fuerit, non antea petere, vel ab eo peti poterit, quam ad majorem aetatem venerit, quae legitimis annorum curriculis completur, non quae divali ſuppletur beneficio; niſi ſpeciatim quis addiderit, *ex venia aetatis velle aliquid procedere* (*b*). Ceterum apud nos aetatis venia indulgeri ſolet adoleſcentibus ſub ea clauſula: *dummodo non contrahant, neque ſe obligent* (*c*). Id autem eo ſpectat, ut, adoleſcentes ab iis contractibus ſe abſtineant, quos adminiſtrationis ratio non exigit.

Minores autem quemadmodum jure Romano, ita & jure patrio in integrum reſtitutione juvantur. Sane edixit Praetor: *quod cum minore, quam viginti quinque annis natu geſtum eſſe dicetur, uti quaeque res erit, animadvertam* (*d*). Fridericus vero Romani juris veſtigia ſequutus minoribus ſuccurrit, ſeu in contractibus, ſeu

(a) *l.* Eos 3. *C. eod.*
(b) *l.* Si quis 4. *C. eod.*
(c) *Collect. reg. litt. par.* 2. *t.* 44. *litt.* 1. *&* *t.* 95. *litt.* 1.
(d) *l.* 1. §. 8. *ff. de Minor.*

ſeu in judiciis ipſi laeſi forent, *beneficio in integrum reſtitutionis in illis tantum caſibus indulto, quibus veteres leges* (1) *ſuccurrebant* (*a*)! Illud autem certum eſt, minores reſtitutionis beneficio juvari, non modo ubi gravem laeſionem paſſi fuerint; ſed etiam ubi *in judiciis, vel extra judicia in modico laeſi probentur*. Quare a veritate maximopere aberrat Afflictus, qui in ea tantum ſpecie in integrum reſtitutionem minori indulgendam cenſet, ubi gravem laeſionem acceperit (*b*). Ceterum non ſolum minores juvari reſtitutionis beneficio placuit, ubi detrimentum paſſi ſint; ſed etiam ubi lucrum aliquod amiſerint: quod ex jure Romano receptum (*c*) (2). Reſtitutio autem in integrum petitur intra quadriennium continuum, ex quo ado-

(1) Nomine *veterum legum* cave, intelligas leges Longobardicas. Jure enim Longobardico ita minoribus conſultum fuit, ut numquam reſtitutioni in integrum locus fieri poſſet. Videſis L. L. lib. 2. tit. 29. l. 1. & 7. Potius *veterum legum* nomine *leges Romanae* deſignantur.

(a) *Conſt.* Minorum *de Reſtit. Minor.*

(b) *Afflict. ad d. Conſtit.* Minor. jura.

(c) *l.* Non omnia 44. *ff. de Minor.*

(2) Si res adoleſcentis ſub haſta fuerit minoris vendita, vix legitimae adjectiones ſive decimae, ſeu ſextae partis pretii admittuntur: nullus poſt legitima adjectionum tempora reſtitutioni locus. Ubi vero hujuſmodi res ſine auctione vendatur, adoleſcens, cauſa cognita, in integrum reſtituetur ſecundum regulas Romani juris.

adoleſcens ex minori aetate i. e. ex anno XVIII. apud nos exceſſerit (*a*).

Jam vero ſecundum jus Romanum, quo Neap. Regni provinciae utuntur, reſtitutio adverſus eum datur, per quem captus quis in contractu fuit. At in hac principe urbe moribus ex jure Longobardo receptis (*b*) obtinet, ut pupilli ſi in contractu capti fuerint, primum adverſus tutores, & *abocatores* (1), quorum auctoritate contraxerunt, experiantur: iis porro excuſſis, adverſus contrahentes ipſos agant, quatenus tutores ſolvendo non ſint (*c*). Tutores autem, & *abocatores* excuſſi intelliguntur, ubi omnia eorum bona ſive in territorio Neapolitano poſita, ſive extra territorium ſita expendantur. Ut enim tutor dicatur *ſolvendo non eſſe*, omnia ejus bona ubivis locorum poſita excutiantur, neceſſe eſt. Ceterum ſi pupil-

(a) *l.* Supervacuum 7. *C. de Temp. in integr. reſtit.*

(b) *L. L. lib.* 2. *t.* 2. *l.* 4.

(1) *Abocatores* in *Conſuet.* Pupillus *de in integr. reſtit.* ii dicuntur, qui per ſingulas urbis *plateas*, ſeu *toccos* (vulgo *ottine*) tamquam advocati tutelares electi ſuam adhibebant auctoritatem pupillorum contractibus, qui tutoribus deſtituerentur. Hujuſmodi *abocatores* ex jure Longobardico originem ſuam fortaſſe agnoſcunt. Vid. *L. L. lib.* 2. *tit.* 29 *l.* 4. In eo autem *abocator* a tutore potiſſimum diſtat ex Napodani ſententia, quod ille non datur, niſi *infanti majori*, & ad *certam rem*, *ſeu contractum*.

(c) *Conſuet.* Pupillus *de in integr. reſtit.*

pillus non modo ex auctoritate tutoris, ſed etiam decreto judicis contractum iniverit, ex eoque laeſus diſceſſerit, conſuetudini locum non eſſe, ex eo contendit Napodanus, quod in hac ſpecie laeſio non praeſumitur, nec reſtitutionis beneficium impetratur (*a*). Verum cum ex quovis contractu quocumque modo inito pupillus laeſus poſſit reſtitutionis beneficium impetrare (*b*), etiamſi judicis decreto contraxerit, Conſuetudinem locum habere cenſuerim. Quae autem de *abocatore* diximus, in Neapolitano territorio obtinent ſine diſcrimine. Tantum pupillis *ruſticis* eadem conſuetudine indulgetur, ut ex quacumque urbis regione ſibi eligant *abocatorem*, cujus auctoritate contrahere queant (*c*) (1).

TITULUS VI.

De Alimentis praeſtandis.

ALimentorum nomine non modo ea continentur, quibus vita ſuſtentatur: ſed ea quoque, quibus eſt opus, ut animus artibus, litteriſ-

(a) *Napod. ad d. Conſuet.*
(b) *l.* Sed ſi 3. §. 1. *ff. de Reb. eor. qui ſub tut.*
(c) *Conſuet.* Pupillus *de in integr. reſtitut.*
(1) Pupilli *ruſtici* ii in conſuetudine appellantur, qui extra urbem ruri in Neapolitano territorio habitant.

apud nos videatur tacita iſthaec emancipatio per ſeparatam oeconomiam (1).

Jam vero quod temporis ſpatium requiritur, ut filius per ſeparatam oeconomiam patria poteſtate ſolutus intelligatur, diſputant Pragmatici. Nonnulli Gloſſographos ſequuti decem, aut viginti annorum ſpatio tacitam emancipationem abſolvi cenſent (*a*). Verum cum neque in Leonis Novella, nec in patriis legibus quidquam ea de re ſit definitum, potius dixerim, filium e patria poteſtate exire, ſimul ac ſeparatam oeconomiam inſtituerit. Id Pragmaticae verbis fortaſſe magis conſonat, qua invalidae dicuntur obligationes filiorumfamilias, niſi praeſente, & conſentiente patre contractae; aut niſi filii fuerint emancipati, *ſeu habitent, & vivant ſeorſum ab eorum patribus cum eorum uxoribus*, & *familia* (*b*) (2).

Po-

(1) Quamvis autem filius per ſeparatam oeconomiam obligari queat; tamen in ceteris omnibus pro filiofamilias cenſetur. Hinc & teſtamentum facere non poteſt, & jura patrisfamilias, praeterquam in contractibus, non adquirit. *Novar.* ad Pragm. 1. ad SC. Maced.

(a) *Paſchalis de Virib. patr. poteſt cap. 6. Afflict. deciſ.* 137.

(b) *Pragm.* 1. *ad SC. Maced.*

(2) Huc referri poteſt emancipatio, qua filii *forojudicatorum* patria poteſtate liberantur. Forojudicati enim veluti aqua & igni interdicti, capite deminuti jus patriae poteſtatis amittunt. *De Franchis* deciſ. 213. *Menoch.* de Praeſumt. l. 5. 45.

Poſtremo ſolvitur patria poteſtas per filiaefamilias nuptias. Jure Romano quidem nuptiae patriam poteſtatem non perimunt. Proinde ſive mares, ſive feminae matrimonio collocentur, adhuc in ſacris paternis manent (*a*). Id jus in Regni Neap. provinciis obtinet. Verum in hac principe urbe ex receptis pridem moribus invaluit, *ut mulier, non obſtante, quod emancipata non fuerit, eo ipſo, quod nubit, fiat ſui juris* (*b*). Cum vero Conſuetudo nuptias tantum memoret; cumque nuptiae ſolo conſenſu perficiantur ex jure Romano (*c*), hinc ſimul atque per verba *de praeſenti*, ut ajunt, initae ſunt nuptiae, filiafamilias ſui juris fit. Quare neſcio quid ſibi velint Napodanus, Antonius de Alexandro, & Angelus Piſanellus (*d*), qui contendunt, virgines adhuc in capillo eas videri, quae, contracto rite matrimonio, nondum viri domum ſunt deductae; iiſque propterea in ſucceſſione feudorum juris Franci excludi ſorores natu majores, ubi hae conjugatae, & dotatae fuerint

(a) *L.* Si uxorem 5. *C. de Condit. inſer. l.* Patri 20. *ff. ad L. Jul. de adulter.*

(b) *Conſuet.* Sed & mulier. *de Filiaf. nub.*

(1) Filiaf. licet per nuptias patria poteſtate liberetur; tamen jus *ſuitatis* non amittit. Jure enim civili ſola emancipatione jus ſui heredis perimitur. Si qui ſunt alii modi patriam poteſtatem ſolvendi, ii jus ſui heredis non tollunt. *Nov.* 81. *c.* 2.

(c) *L.* Nuptias 30. *ff. de R. J.*

(d) *Ad Conſuet.* Sed & mulier.

rint de bonis paternis. (*a*) At cum nuptias conſenſus faciat, non concubitus, domumque deductio (*b*) (1); cumque *virgo in capillis* perperam ea dicatur, quae per verba *de praeſenti* rite nupſit, licet viri domum non adhuc traducta; profecto puella in paterna domo manens *eo ipſo, quod nubit*, i. e. per verba de praeſenti matrimonium contrahit, *fit ſui juris.*

Jam vero, ſoluto per mortem viri matrimonio, Neapolitanam puellam in parentis poteſtatem iterum reverti, putarunt poſt Napodanum Pragmatici fere omnes; in eamque ſententiam a S. C. judicatum olim, memoriae prodidit Thomas Grammaticus (*c*). Verum alii Affli-ctum ſecuti in alia omnia iverunt. Quidquid autem hujuſmodi controverſiarum ſit, illud explorati juris eſt, beneficium mulieri favore matrimonii collatum, ſoluto matrimonio eidem cohaerere (*d*); & patria poteſtate ſemel liberatam ſola adoptione in eamdem poteſtatem reverti poſſe (*e*).

Ceterum de ea ſpecie diſſident Interpretes, ubi

(a) *Conſt.* Ut de ſucceſſionibus. *De ſucceſs. nobil. in feud.*

(b) *l.* Nuptias 30. *ff. de R. J.*

(1) Mulieres conjugatae caput obnubebant: quae vero adhuc virgines domi erant, *in capillo* incedebant, i. e. non tecto capite.

(c) *Deciſ.* 54. *n.* 12.

(d) *Argum. l.* Filii 22. §. 1. *ff. ad Municip.*

(e) *l.* Qui liberatus 12. *ff. de Adopt.*

ubi extera mulier Neapolitano viro nubit: illam enim Neapolitanam veluti factam per nuptias patria potestate liberari, tradunt nonnulli. In eam porro sententiam trahunt Antonini, & Veri rescriptum (*a*), quo mulier, quamdiu nupta est, incola ejus civitatis dicitur, cujus maritus ejus est, & ibi, unde *originem trahit, non cogitur muneribus fungi*. Verum cum privilegium Neapolitanas mulieres tantum spectet; jus quidem civitatis per nuptias non adquirit mulier, sed id tantum consequitur, ut incola videatur ejus municipii, cujus vir ejus est. Id porro eo redit, ut muneribus personalibus apud incolatum mariti fungatur, patrimonii vero munera in loco, in quo possidet, sustineat. (*b*) In hanc sententiam discessit olim S. C. apud de Franchis (*c*).

TITULUS V.

De Minoribus.

JUre Romano pupilli, si mares forent, usque ad XIV. annum, si feminae, usque ad duodecimum expletum tutorum auctoritate regebantur. Post eam aetatem curatoribus suberant

(a) *l.* Imperatores *ult.* §. 3. *ff. ad Municipal. Vid. l.* Filii 22. §. 1. *ff. eod.*
(b) *l. Un. C. de Mulier. & in quo loc. mun.*
(c) *Decis.* 546. *n.* 30.

uſque ad annum XXV. expletum: quod cautum lege Laetoria, quae propterea *quinavicennaria* a Plauto appellatur (*a*). At Longobardi maſculos, ac feminas duodeviceſimum annum egreſſos perfectae aetatis cenſuerunt, ante eam aetatem eos ſibi res ſuas gerere noluerunt, niſi aut judicis, aut ejus auctoritate, qui a judice ad id deligeretur. Apud ipſos porro cum pupillorum, minorumque tutela ad Principem pertineret, nemo tutelam etiam teſtamentariam ſuſcipere poterat, niſi a Magiſtratu veluti vice ſacra confirmatus. (*b*) Cum vero jus Longobardicum jus commune apud nos evaſerit, hinc minorum aetati annus decimus octavus veluti terminus fuit praeſtitutus. Id primum ex jure Longobardico moribus veluti receptum, lata deinde lege a Friderico II. fuit confirmatum (*c*). Ceterum hac Friderician conſtitutione in eo tantum juri Romano derogatur, quod minores perfectae aetatis ſtatuuntur poſt annum 18. expletum, in reliquis vero jus Romanum neutiquam immutatur.

Jam vero minores alii ſunt burgenſes; alii feudatarii. Feudatariis minoribus dantur Balii, de quibus in Inſtitutionibus feudalibus diſputabimus: ceteris dantur curatores. Minores autem curatoribus apud nos liberantur, ubi ad per-

(a) *Plaut. Pſeud.* 1. 3.
(b) *Vid. Car. Ant. de Roſ. Prax. civil. c.* 7. *n.* 32.
(c) *Conſt.* Minorum jura. *de Reſtit. Minor.*

perfectam aetatem pervenerint i. e. 18. annum evaserint. Licebit etiam ipsis, antequam majores fiant, aetatis veniam impetrare. Scilicet jussit Constantinus, omnes adolescentes, qui paternam frugem, vel avorum patrimonia gubernare cupiunt, si mares fuerint, post vicesimum, si feminae, duodevicesimo anno expleto, aetatis veniam a Principe exorare posse. Eo principali beneficio magistratui oblato, annorum numerum, morum instituta, & testimonium vitae honestioris eos edocere voluit, ut perfectae aetatis constituti rerum administrationem susciperent (*a*) Hujusmodi aetatis venia cum ordinariae jurisdictionis non sit, olim per Collaterale consilium ab eo impetrabatur, qui vice sacra agebat. Hodie vero nonnisi a Rege vix unius anni venia exoratur ex relatione seu Regalis Camerae S. Clarae, seu S. R. Consilii, seu M. C. Vicariae. (*b*)

Venia aetatis impetrata, si minus idonee rem suam administraverit adolescens, restitutionis auxilio juvari frustra petit; ne hi, qui cum eo contrahunt, principali auctoritate circumscripti esse videantur, ut ait Aurelianus (*c*). Quamvis vero hujusmodi adolescentibus admi-

ni-

(a) *l.* Omnes 2. *pr.* & §. 1. *C. de His, qui ven. aetat.*

(b) *Collect. reg. litt. part.* 2. *t.* 44. *litt.* 1. & *t.* 95. *litt.* 1.

(c) *l.* 1. *C. de His, qui ven. aetat.*

niſtratio rerum ſuarum permittitur; iis tamen res ſuas immobiles nec alienare, nec hypothecae ſubjicere ſine magiſtratus decreto licet; ut ſimilis ſit in ea parte conditio minorum omnium, ſive petita ſit, ſive non, aetatis venia (*a*). Quin & illud cavit Juſtinianus, ut, ſi quid minori, vel a minore debeatur, ubi *perfectae aetatis* is fuerit, non antea petere, vel ab eo peti poterit, quam ad majorem aetatem venerit, quae legitimis annorum curriculis completur, non quae divali ſuppletur beneficio; niſi ſpeciatim quis addiderit, *ex venia aetatis velle aliquid procedere* (*b*). Ceterum apud nos aetatis venia indulgeri ſolet adoleſcentibus ſub ea clauſula: *dummodo non contrahant, neque ſe obligent* (*c*). Id autem eo ſpectat, ut, adoleſcentes ab iis contractibus ſe abſtineant, quos adminiſtrationis ratio non exigit.

Minores autem quemadmodum jure Romano, ita & jure patrio in integrum reſtitutione juvantur. Sane edixit Praetor: *quod cum minore, quam viginti quinque annis natu geſtum eſſe dicetur, uti quaeque res erit, animadvertam* (*d*). Fridericus vero Romani juris veſtigia ſequutus minoribus ſuccurrit, ſeu in contractibus, ſeu

(a) *l.* Eos 3. *C. eod.*
(b) *l.* Si quis 4. *C. eod.*
(c) *Collect. reg. litt. par.* 2. *t.* 44. *litt.* 1. *&* *t.* 95. *litt.* 1.
(d) *l.* 1. §. 8. *ff. de Minor.*

ſeu in judiciis ipſi laeſi forent, *beneficio in integrum reſtitutionis in illis tantum caſibus indulto, quibus veteres leges* (1) *ſuccurrebant* (*a*)! Illud autem certum eſt, minores reſtitutionis beneficio juvari, non modo ubi gravem laeſionem paſſi fuerint; ſed etiam ubi *in judiciis, vel extra judicia in modico laeſi probentur*. Quare a veritate maximopere aberrat Afflictus, qui in ea tantum ſpecie in integrum reſtitutionem minori indulgendam cenſet, ubi gravem laeſionem acceperit (*b*). Ceterum non ſolum minores juvari reſtitutionis beneficio placuit, ubi detrimentum paſſi ſint; ſed etiam ubi lucrum aliquod amiſerint: quod ex jure Romano receptum (*c*) (2). Reſtitutio autem in integrum petitur intra quadriennium continuum, ex quo ado-

(1) Nomine *veterum legum* cave, intelligas leges Longobardicas. Jure enim Longobardico ita minoribus conſultum fuit, ut numquam reſtitutioni in integrum locus fieri poſſet. Videſis L. L. lib. 2. tit. 29. l. 1. & 7. Potius *veterum legum* nomine *leges Romanae* deſignantur.

(a) *Conſt.* Minorum *de Reſtit. Minor.*

(b) *Afflict. ad d. Conſtit.* Minor. jura.

(c) *l.* Non omnia 44. *ff. de Minor.*

(2) Si res adoleſcentis ſub haſta fuerit minoris vendita, vix legitimae adjectiones ſive decimae, ſeu ſextae partis pretii admittuntur: nullus poſt legitima adjectionum tempora reſtitutioni locus. Ubi vero hujuſmodi res ſine auctione vendatur, adoleſcens, cauſa cognita, in integrum reſtituetur ſecundum regulas Romani juris.

adoleſcens ex minori aetate i. e. ex anno XVIII. apud nos exceſſerit (*a*).

Jam vero ſecundum jus Romanum, quo Neap. Regni provinciae utuntur, reſtitutio adverſus eum datur, per quem captus quis in contractu fuit. At in hac principe urbe moribus ex jure Longobardo receptis (*b*) obtinet, ut pupilli ſi in contractu capti fuerint, primum adverſus tutores, & *abocatores* (1), quorum auctoritate contraxerunt, experiantur: iis porro excuſſis, adverſus contrahentes ipſos agant, quatenus tutores ſolvendo non ſint (*c*). Tutores autem, & *abocatores* excuſſi intelliguntur, ubi omnia eorum bona ſive in territorio Neapolitano poſita, ſive extra territorium ſita expendantur. Ut enim tutor dicatur *ſolvendo non eſſe*, omnia ejus bona ubivis locorum poſita excutiantur, neceſſe eſt. Ceterum ſi pupil-

(a) *l.* Supervacuum 7. C. *de Temp. in integr. reſtit.*

(b) *L. L. lib.* 2. *t.* 2. *l.* 4.

(1) *Abocatores* in *Conſuet.* Pupillus *de in integr. reſtit.* ii dicuntur, qui per ſingulas urbis *plateas*, ſeu *toccos* (vulgo *ottine*) tamquam advocati tutelares electi ſuam adhibebant auctoritatem pupillorum contractibus, qui tutoribus deſtituerentur. Hujuſmodi *abocatores* ex jure Longobardico originem ſuam fortaſſe agnoſcunt. Vid. *L. L. lib.* 2. *tit.* 29 *l.* 4. In eo autem *abocator* a tutore potiſſimum diſtat ex Napodani ſententia, quod ille non datur, niſi *infanti majori*, & ad *certam rem*, *ſeu contractum*.

(c) *Conſuet.* Pupillus *de in integr. reſtit.*

pillus non modo ex auctoritate tutoris, ſed etiam decreto judicis contractum iniverit, ex eoque laeſus diſceſſerit, conſuetudini locum non eſſe, ex eo contendit Napodanus, quod in hac ſpecie laeſio non praeſumitur, nec reſtitutionis beneficium impetratur (*a*). Verum cum ex quovis contractu quocumque modo inito pupillus laeſus poſſit reſtitutionis beneficium impetrare (*b*), etiamſi judicis decreto contraxerit, Conſuetudinem locum habere cenſuerim. Quae autem de *abocatore* diximus, in Neapolitano territorio obtinent ſine diſcrimine. Tantum pupillis *ruſticis* eadem conſuetudine indulgetur, ut ex quacumque urbis regione ſibi eligant *abocatorem*, cujus auctoritate contrahere queant (*c*) (1).

TITULUS VI.

De Alimentis praeſtandis.

ALimentorum nomine non modo ea continentur, quibus vita ſuſtentatur: ſed ea quoque, quibus eſt opus, ut animus artibus, litteriſ-

(a) *Napod. ad d. Conſuet.*
(b) *l.* Sed ſi 3. §. 1. *ff. de Reb. eor. qui ſub tut.*
(c) *Conſuet.* Pupillus *de in integr. reſtitut.*
(1) Pupilli *ruſtici* ii in conſuetudine appellantur, qui extra urbem ruri in Neapolitano territorio habitant.

teriſque informetur (*a*) (1). In iis autem definiendis Judex religione ſua ſingulorum deſideria perpendet, & pro modo facultatum ea decernet (*b*). Quod ſi quis alere detrectet, pignoribus captis, & diſtractis, cogetur judicis ſententiae ſatisfacere (*c*). Illud autem certum eſt, filium, ubi ſe exhibere queat, alimenta fruſtra a patre poſtulare; quod D. Pium reſcripſiſſe, refert Ulpianus (*d*).

Jam vero non modo ex juſtis nuptiis procreati liberi, ſed & ex concubina ſuſcepti a patre alimenta recte petent (*e*). Tantum ex damnato coitu prognatis alimenta Juſtinianus denegavit in odium nefariorum amplexuum (*f*). Benigniores tamen Pontifices hujuſmodi liberis alimenta indulſerunt (*g*); quorum aequi-

(a) *l.* Quod plerumque 2, *C. de Aliment. pup. praeſt.*

(1) Alia eſt ratio alimentorum legatorum. Eo enim legato cibaria, veſtitum, & habitationem contineri, reſpondit Javolenus, neutiquam ea, quae ad diſciplinam pertinent; niſi aliud ſenſiſſe teſtatorem, probetur. l. Legatis 6. ff. *de Aliment. legat.* l. Niſi 1. ff. eod.

(b) *l.* Si quis 5. §. 2. *ff. de Agnoſc. & Alend. liber.*

(c) *d. l.* 5. §. 10. *ff. eod.*

(d) *d. l.* 5. §. 7. *ff. eod.*

(e) *Auth.* Licet. *C. de Natural. Liber.*

(f) *Nov.* 89. *c.* 15.

(g) *Cap.* Cum haberet 5. *ex. De eo, qui dux. in uxor. quam p. ll. per adulter.*

aequitas per Europae tribunalia paſſim recepta fuit (*a*).

Haec quidem ex jure Romano obtinent in Regni provinciis. In hac vero principe urbe aliud jus moribus invaluit. Scilicet ſeu filii nolint cum patre habitare (1), ſeu pater eos ſecum habere nolit, bonorum antiquorum diviſio ita fiet, ut ſingulis liberis viriles portiones tribuantur, pater duas ferat, alteram ſibi, alteram uxori, ſeu ea vivat, ſeu defuncta ſit. Ita ſi extet pater, & duo filii, dimidium fructuum filiis, alterum dimidium patri cedet (*b*). Quod ſi unus ex filiis deceſſerit, tertia pars fructum ipſi tributorum ſuperſtiti filio dabitur, reliquae duae partes patri deferentur (*c*). Ceterum ſi defuncto filio nepotes ſuperſint, ii eam fructuum partem habebunt, quam pater, ſi viveret,

(a) *de Franchis Deciſ.* 645. *n.* 5. *de Luca Obſerv. in eamdem deciſ.*

(1) Quamvis in *Conſuet.* Si quis *de Aliment. praeſtand.* nulla juſta cauſa requiri videatur, ut pater liberos a ſe dimittat, vel liberi patrem deſerant; tamen eam libertatem in malorum ſegetem prolabentem coërcuerunt S. C. Patres decreto ſuo XI. Kal. Januarii an. 1742. quo conſtitutum, ut judex, cognita cauſa, decernat, utrum juſta ſubſit cauſa, cur pater filium ſecum habitare nolit, vel filius a patre diſcedat. Hoc decretum a Carolo Borbonio confirmatum fuit *Pragm. un. de Aliment. praeſt.*

(b) *Conſuet.* Si quis 1. *de Alim. praeſt.*

ret, habuiſſet (*a*) (1).

Alimenta autem liberis pater dabit ex bonis ſuis paternis, ac maternis, necnon ex aliis ipſi obvenientibus a quibuſcumque conſanguineis ſuis aguatis, vel cognatis, quemadmodum & ex bonis in dotem eidem parenti datis (*b*) (2). Licet vero ex dotalium bonorum fructibus debeantur alimenta filiis tantum communibus, ex ea tamen partitione nullum mulieri detrimen-

(a) *Conſuet.* Verum 3. *eod.*

(1) Dotem, & reliqua materna bona filiis ſeorſim a patre agentibus cedere, moribus apud nos receptum. *Conſuet.* Si mulier *de Jur. Dot.* Hujuſmodi autem bonorum fructus ſi ad eam ſummam pertingent, quae filiis ex Conſuetudine debetur, aliquid amplius ex paternis bonis antiquis filii fruſtra poſtulabunt. Si vero ad eam ſummam non pertingent, alimentorum ſupplementum recte petent. Ceterum ubi filius maternas dotes petat, ſtatim ei reſtituenda ſunt dotalia praaedia aeſtimata, atque inaeſtimata, & *corredum*, i. e. mundus muliebris. Corredum autem ſi petitionis tempore non extet, ejus pretium cum omni dotali pecunia intra annum reſtitui debet. *Conſuet.* Si mulier nupta *de Jur. dot.*

(b) *Conſuet.* Si quis 1. *eod.*

(2) Conſuetudinis verba, quibus ſtatuitur, patrem ex bonis per ipſum quaeſitis alimenta liberis praeſtare non debere, ea tantum in ſpecie locum habent, ubi non deſunt avita bona. Ea porro ſi deſint, liberis alimenta decernentur ex ipſis bonis a patre quaeſitis; & religione judicis definientur ex jure Romano, ut ait Napodanus ad *Conſuet.* Verum, *de Alim. praeſt.*

mentum inferetur . Mulier enim , viro mortuo , dotes liberas habebit .

Cum porro pater alimenta praeſtare debeat *ex fructibus* bonorum , quae memoravimus , illud profecto dubitari queat , reale ne , an perſonale ſit alimentorum onus . In hac re definienda diſſidium fecerunt interpretes . Nonnulli poſt Napodanum (*a*) alimentorum onus perſonale putarunt . In eam ſententiam eos vocarunt illa Conſuetudinis verba , *tenetur ipſe pater dare pro alimentis* . Alii contra Vincentium Brillam (*b*) ſequuti rectius fortaſſe reale alimentorum onus eſſe contendunt . Ii porro ex eo moventur , quod in Conſuetudine certa bona deſignentur . Bonorum autem certa deſignatio onus reale arguit (*c*) .

Quaeri heic ſolet , an patrem filiis alimenta praeſtare oporteat , ubi ipſi aliunde habeant , unde ſe alant . Sane in hac controverſia definienda illud cognoſci prius debet , utrum officio judicis alimenta debeantur , an jure actionis . Ubi *officio judicis* alimenta debentur , ſi aliunde filio ſit , unde ſe alat , ei alimenta decerni non debent . Verum ubi alimenta debentur *jure actionis* , nulla egeſtatis

(a) *Napodanus ad Conſuet.* Si quis . *de Alim. praeſt.*

(b) *Brilla de Alim. praeſtand. t. VIII. c.* 3.

(c) *l.* Cajo 13. §. 1. *ff. de Aliment. legat.*

ratio habetur; & ſive egeat filius, ſeu locuples fuerit, ei alimenta ab ipso die contractus, vel a morte teſtatoris ſolida debentur (1) (*a*). Cum porro, exceptis alimentis ex contractu, vel ex legato debitis, alimenta omnia officio judicis debeantur, hinc ſi filius abunde habeat, unde ſe alat, alimenta a patre fruſtra petet, quidquid poſt Napodanum Pragmatici fere omnes contra obnitantur.

Ceterum licet pater filiis alimenta denegare non poſſit; tamen ubi filii adverſus parentes ingrati fuerint, jure alimentorum excidunt. Ingratos autem filios eos in praeſenti argumento dixere interpretes, quos exheredes ſcribi jus patitur. Verum inhumanius id quidem videri queat, ut filius jure alimentorum excidat, quia mimos fuerit ſecutus. Quare rectius fortaſſe dixerim, ob ea ingrati animi crimina filios jus alimentorum amittere, quibus ipſe pater directo laeditur, non quibus filiorum exiſtimationi detrimentum infertur. Advocari in hac ſententiam poteſt, quod Trebatio Mariano reſcriptum refert Ulpianus, *merito patrem eum nolle alere, quod eum detulerat* (*b*). Quodcumque autem

(1) *Officio judicis* deberi alimenta dicuntur, cum condictione ex lege petuntur, & a judice decerni jubentur. *Jure actionis* debentur alimenta, cum ex teſtamento, vel contractu praeſtari debent.

(a) *l.* Libertis 18. §. 1. *ff. de Aliment. legat.*

(b) *l.* Si quis 5. §. 11. *ff. de agnoſc. lib.*

tem ſit filii delictum, quo alimentorum jus amittat, alimenta ipſi denegabuntur, quae vel lautiora jure Romano, vel ex certa fructuum aſſignatione ex Conſuetudine praeſcribuntur, neutiquam vero ea, quae jure naturae debentur, ac ſine quibus vita duci non poteſt.

Quod diximus, patrem, ac paternae lineae aſcendentes principali nomine alimenta liberis praeſtare oportere, id quidem de liberis omnibus intelligi debet, cujuſcumque aetatis ſint. Quod enim nonnulli ajunt, puellum trienni minorem, vivente matre, patrem alimentorum nomine convenire non poſſe, id quidem, invita juriſprudentia, effertur. Licet enim ad triennium uſque lactare infantes conſueverint veteres; attamen quod ultra lac pro filio impenditur, pater praeſtare cogitur.

Si pater e vivis exceſſerit, mater, quae jure Romano in ſubſidium vocatur (*a*), deficientibus bonis paternis, an filios in territorio Neap. alere teneatur, quaerunt paſſim Interpretes. Sane ubi, patre mortuo, divertere velint a matre liberi, mater *de dotibus, donativo, & quarta ſua non tenetur ipſis alimenta praeſtare. De excadentiis* vero mater liberos alere cogitur (*b*) *Excaden-*

(a) *d. l.* Si quis 5. §. 4. *ff. eod.*
(b) *Conſuet.* Mulier. *de Alim. praeſt.*

tiae dicuntur, quaecumque bona mulieri ſive hereditate, ſeu legato, ſeu alio titulo lucrativo obvenerint. Illud autem inter patrem, ac matrem intereſt, quod ex rebus alimentariis duas viriles pater ſibi retinet, ſeu vivat, ſeu defuncta ſit uxor; unam autem virilem mater ſibi habebit (*a*). Id inde fortaſſe factum, quod potior ratio viri, quam mulieris haberi debet.

Quemadmodum parentes ſeu primi, ſeu ulterioris gradus coguntur liberos exhibere; ita liberis parentum neceſſitatibus ſuccurrere, juſtum eſſe, reſcripſit Antoninus (*b*). Id enim ex aequitate, & caritate ſanguinis deſcendere, reſpondit Ulpianus (*c*). Tantum ſi parentes adverſus liberos fuerint ingrati, alimentorum jure, uti de filiis dictum eſt, excident. Ingratos autem eos dixeris, qui aliquid ejuſmodi admiſerint, quo exheredari jure poſſint.

Praeter parentes, ac liberos, ex jure Romano nemo alius alimenta petere poteſt. Aequitate tamen ſuadente receptum, ut fratres, & ſorores ſeu ex uno, ſive ex utroque latere conjun-

(a) *d. Conſuet.* Mulier.

(2) Donativum complectebatur ea omnia, quae ſeu a viro, ſeu a conſanguïneis, mulieri nuptiarum tempore donabantur.

(3) Quartam in bonis viri uxor conſequebatur ſeu jure Longobardico, ſeu jure Romano.

(b) *l.* 1. *C. de Alend. Liber.*

(c) *l.* Si quis 5. §. 2. *ff. de Agnoſc. Liber.*

junĉti a fratribus alimenta conſequantur (*a*). Illud autem diſputatur apud interpretes, utrum patruus fratris, ſororiſve filios exhibere cogatur. Quidquid autem diſſidiorum fuerit, apud nos ex litteris Ferdinandi IV. datis XI. Kal. Jun. an. 1779. certi juris eſt, patruum, ac patruum magnum fratris, ac ſororis filios, & nepotes alere debere, ubi illi divites, hi inopes fuerint. Id aequitas optimo Principi ſuggeſſit.

TITULUS VII.

De Feminis, & reſtitutione ipſis praeſtanda,

QUemadmodum ob ſexus infirmitatem pleraque mulieribus indulgeri placuit; ita reſtitutionis beneficio juvari eas cenſuere Neapolitani Principes. Sane mulieribus, quae jure Romano in perpetua erant tutela (*b*), per leges quoque Longobardicas non licuit *ſine mundio vivere* (*c*) (1). Inde factum, ut, ubi in

(a) *Perez ad tit. C. de Alend. Liber. Huber. ad tit. ff. de Agnoſc. Liber.*

(b) *Liv.* 34. 2.

(c) *L. L. lib.* 2. *t.* 10. *l.* 1.

(1) Mundualdorum uſus, qui Longobardis natales ſuos debet, non modo ſub Northmannis, ſed & ſub Suevis adhuc apud nos ſtetit praeſertim in feudis juris Longobardici. *Conſt.* Obſcuritatem, *De in integr. reſtit. mulier.*

Neap. Regno uſus juris Longobardici invaluit, mulieres in mundualdorum poteſtate forent. Licet autem mundualdis ſubeſſent feminae, ipſis tamen per reſtitutionis beneficium apud Longobardos non ſuccurrebatur; quia reſtitutiones in integrum Longobardis ignotae. Primus Rogerius apud nos conſtituit, ut mulieribus ſubveniretur; *ſicut & decet, quatenus & oportet, ubi non modice laeſae fuerint* (a). Eam autem conſtitutionem utpote obſcuriorem Fridericus II. latius declaravit (b). Edixit itaque, ut mulieres ſeu Longobardorum jure viverent, ſeu Francorum, ſi mundualdorum, vel procuratorum fraude enormiter laeſae in judiciis probarentur, vel ob probationes, vel ob defenſiones omiſſas, reſtitutionis beneficio juvarentur. Hujuſmodi autem beneficio mulieres utentur, ubi adverſus mundualdos, vel procuratores expertae ſunt, quorum ſeu fraude, ſeu negligentia, ſeu etiam ſimplicitate laeſae fuerint. Ceterum reſtitutionis beneficium fruſtra petit mulier adverſus ſententiam: in *judiciis* enim *tantum reſtituendas mulieres* ſancivit Fridericus, ſcil. ſeu adverſus probationes, ſive adverſus defenſiones omiſſas.

Jam vero ſi in contractibus laeſae fuerint mulieres, ipſis non cenſuit ſuccurrendum Fridericus: in hac enim ſpecie judicum, mundualdo-

(a) *Conſt.* Mulieribus. *de in integr. reſtit. mulier.*
(b) *Conſt.* Obſuritatem. *eod.*

dorum, vel procuratorum praeſentia ipſae juvari poſſunt. Tantum mulieribus reſtitutionis beneficium indulgetur, ſi per circumventionem, aut fragilitatem ſexus immoderatam dotem ultra patrimonii vires promiſiſſe, vel conſtituiſſe probentur (*a*). Ceterum ubi juris ignorantia laedantur mulieres, idem Fridericus ſecundum regulas Romani juris ipſis ſuccurri voluit. Ita ſi per errorem, non pretio accepto, ab accuſatione deſiſtant (*b*) (1); ſi inceſtum jure civili prohibitum per ignorantiam juris committant (*c*); ſi inſtrumenta edenda per fragilitatem ſexus ignorantes non edant (*d*), reſtitutionis beneficio mulieres adjuvari placuit.

Porro quemadmodum omnibus in ſpeciebus ex Romano jure receptis reſtitutionis auxilium mulieribus confirmavit Fridericus; ita eis ſuccurri voluit, ubi *ſolverint ex interceſſione, ignorantes, ſe beneficio Vellejani munitas*. Sane cum frequentius mulieres maritorum delinimentis captae periculoſas fidejuſſiones pro ipſis potiſſimum ſuſciperent, Auguſtus primum, de-

(a) *d. Conſt.* Obſcuritatem, *eod.*

(b) *l.* Mulier. 4. *ff. ad SC. Turpill.*

(1) Quicumque ab accuſatione ſemel inſtituta deſiſtunt, incidunt in SCtum Turpillianum. L. 1. §. 10. *ff. ad SC. Turpill.*

(c) *l.* Si adulterium 38. §. 2. *ff. ad L. Jul. de adulter.*

(d) *L.* 1. §. *ult. ff. de Edend.*

inde Claudius edicto vetuit, *ne feminae pro viris ſuis intercederent* (*a*). Cum vero eas leges paſſim eluderent viri per extraneorum perſonam in contractu adhibitam, ſub eodem fortaſſe Claudio SCto Vellejano cautum, ne *ob mulierem fidejuſſiones, aut mutui dationes pro aliis, adverſus mulieres eo nomine petitio, aut actio foret.* (*b*) *Omnem* autem obligationem SCto Vellejano comprehendi, ait Ulpianus, *ſeu verbis, ſeu re, ſeu quocumque alio contractu mulier interceſſerit* (*c*). Quare fruſtra SC. exceptione ſe tuetur mulier, quae principali nomine debet: ejus enim SCti exceptio tunc mulieri datur, cum principaliter ipſa nihil debet, ſed pro alio debitore apud creditorem ejus interceſſit, uti reſcripſit Antoninus (*d*). Ceterum illud certum eſt, heredes quoque mulieris adverſus creditores exceptione SC. Vellejani uti poſſe (*e*). Hoc autem beneficium adeo obtinuit, ut, ſi mulier, praecedente obligatione, quam SCtum de interceſſionibus efficacem eſſe non ſinit, ſolutionem fecerit, ejus SCti beneficio munitam ſe ignorans, locum habeat repetitio (*f*).

Non

(a) *l.* Et primo 2. *pr. ff. ad SC. Vellejan.*
(b) *d. l.* 2. §. 1. *eod.*
(c) *d. l.* 2. §. 4. *ff. eod.*
(d) *l.* Fruſtra 2. *C. eod.*
(e) *l.* Heredes 20. *C. eod.*
(f) *l.* Quamvis 9. *C. eod.*

Non deſunt autem in jure ſpecies, in quibus SC. Vellejanum ceſſare placuit. Ita SCto locus non eſt, ubi mulier filiorum ſuorum patrimonium gerens tutoribus *ſecuritatem* promiſerit: in praeſenti enim cauſa ſuum quodammodo negotium geſſiſſe videtur (*a*). Quin ſi mater pro dote filiae conſtituenda ſe obligavit, SCti auctoritas ceſſabit (*b*). Veteres enim legum conditores favore dotium ſaepius ſeveritatem legum molliverunt, ut ait Juſtinianus (*c*). Praeterea SCto Vellejano mulier fruſtra ſe defendet, quae tempore fidejuſſionis in perfecta aetate conſtituta, interceſſionem poſt biennium iteravit. Videtur enim ex hujuſmodi temporis prolixitate non pro aliena obligatione ſe illigare, ſed pro ſua cauſa aliquid agere (*d*). Poſtremo mulierem, ſi interceſſerit, ſive ab initio, ſive poſtea aliquid tamquam fidejuſſionis pretium accipiens, non poſſe SCti Vellejani uti auxilio, edixit Juſtinianus (*e*).

Jam vero cum cuilibet liceat beneficio ſibi collato renunciare, ſi mulier SCto Vellejano renunciaſſet, per exceptionem fruſtra ſe tuebatur

(a) *l.* Si mater 6. C. *eod.*
(b) *l.* Si dotare 12. *l. ult.* C. *eod.*
(c) *d. l. ult.* C. *eod.*
(d) *l.* Si mulier 22. C. *eod.*
(e) *l.* Antique 23. *pr.* C. *eod.*

tur (a). Cum tamen ex hujuſmodi renunciationibus plura mulieribus damna a viris inferrentur, cautum a Juſtiniano fuit, eas renunciationes valere, ubi pro extraneis interceſſiſſent mulieres, at inutiles eſſe, ſi interceſſiſſent pro viris (b), Sed legi per Pragmaticorum fraudes ſtatim illuſum. Ii enim per juramenti religionem firmari fidejuſſiones pro viris ſtatuerunt, quae alias inutiles forent (c). Id porro cum mulierum detrimento cederet, apud nos an. 1543. Petro de Toledo vice ſacra agente, fuit conſtitutum, ut ipſae juratae renunciationes SCto Vellejano a mulieribus factae ipſo jure *nullius ſint roboris, & efficaciae, licet per notarios aſſerantur certioratae; cum non ſit obligatorium contra bonos mores praeſtitum juramentum* (d).

Licet autem nihil agat mulier, quae SCto jurata renuncians pro alio intercedit, poteſt tamen Pragmaticae veniam impetrare. In hac autem ſpecie illud maximopere cavendum, ut ante ſuſceptam obligationem venia impetretur, & ex inſtrumento conſtet, Vellejano ſpecialiſſime renunciatum (e). Ubi porro hanc veniam nuptae

(a) *l.* Si mulier 32. §. 4. *ff. ad SC. Vellej.*
(b) *Nov.* 134. *cap.* 8.
(c) *Argum. Autb.* Sacramenta puberum C. *ſi adverſ. vendit.*
(d) *Pragm. un. de SC. Vellejan.*
(e) *de Marin. Reſol. l.* 1. *c.* 276. *n.* 14.

ptae mulieres impetrare velint, in ſupplici libello non modo cauſa renunciationis, ſed & dotis exprimenda quantitas, & numerus liberorum, & an alias ea venia fuerit impetrata. Petitam enim veniam Princeps concedere ea lege ſolet, ut *mulier non remaneat indotata*; vel, *dummodo non excedat tertiam partem dotis* (*a*) (1). Si quid autem vitii per ſubreptionem, vel obreptionem petitae veniae inſit, de ea re inferiora tribunalia cognoſcent (*b*). Ceterum de viduis illud ſervari ſolet, ut, ſi in ſuam utilitatem intercedant, veniam impetrare non cogantur; ſi vero pro aliis, venia opus habeant. Ea porro venia concedi ſolet ſub ea formula: *liceat, quia vidua*.

JU-

(a) *de Franchis deciſ.* 377. *n.* 9.

(1) Per Conſuetudines Neap. mulier dotales ipſos fundos cum viri conſenſu recte alienat, modo conſenſerint filii prioris matrimonii. Qui conſenſus filiorum omitti poteſt, ubi juſta ſubſit alienationis cauſa judicis decreto declarata *Conſuet.* 1. & 2. *de contract. int. vir. & uxor.* Napod. *ad d. conſuet.* Sed hodie recentiores mores veteribus derogarunt; & ſine Principis diſpenſatione mulier res dotales fruſtra alienat.

(b) *Maradei ad Pragm. un. de SC. Vellejan.*

JURIS CIVILIS NEAPOLITANI

LIBER II.

TITULUS I.

De Rerum diviſione, ac de Regalibus.

QUam rerum diviſionem poſt Marcianum (a) exhibuit Tribonianus (b), ea ſub Principatu admitti non poteſt: res enim communes, & publicas ſibi Principes paſſim vindicarunt. Quare ſub Principatu aliae ſunt *res Principis*, *aliae res univerſitatis*, *pleraeque ſunt res ſingulorum*, ſive ad laicos, ſeu ad clericos eae pertineant. Primum de rebus Principis, deinde de aliis diſputabimus.

Res, quae ad Principem pertinent, *regalia* ſeu *jura majeſtatis*, dici ſolent. Eo vocabulo deſi-

(a) *l.* 2. *ff. de Diviſ. rer.*
(b) *Pr. Inſtit. de Rer. diviſ.*

deſignantur jura, quae *Principi in civitate competunt ad reip. ſalutem, & dignitatem tuendam.* Quare iis facile adſentior, qui regalia ex jure naturali, & Gentium, & ex cujuſque civitatis rationibus arceſſunt. Proinde eos merito rideas, qui illa tantum regalia agnoſcunt, quae recenſentur in Friderici I. conſtitutione (*a*) ſeu conventione cum Mediolanenſibus inita (*b*). Ut enim præteream, in ea conventione Conſtantiae habita pleraque a Mediolanenſibus adſcita per Fridericum vindicari; cum regalia ſint inſtituta ad civitatis ſalutem, & dignitatem tuendam, ea omnia inter ea haberi debent, quae ad id aſſequendum conducunt. Quapropter regalia nullo certo numero coërcentur; eaque, ubi civitatis id ratio poſtulet, augeri, vel diminui facile poſſunt.

Jam vero quamvis Regalia nullo certo numero definiri queant; ad certos tamen fontes revocari poſſunt. Ita poſt Grotium plerique omnes jura Majeſtatis metiuntur legibus ferendis, jure gladii exercendo, Magiſtratibus creandis, vectigalibus, & tributis indicendis, & jure belli, ac pacis ſanciendo. Regalia porro alia *majora* dicuntur, alia *minora*. Majora ſunt, quae in ſignum ſupremae poteſtatis conſtituta a Majeſtate abdicari, & quovis tempore praeſcribi non

(a) *lib. 2. Conſuet. Feudal. tit. Quae ſint regal. §6.*
(b) *Vid. Goldaſt. Conſtit. Imperial. t. 1. p. 269.*

non poſſunt. Hujuſmodi cenſentur jus legum ferendarum, magiſtratuum creandorum, jus belli, & pacis, & alia id genus. Quare ſi cui Princeps ea donaverit, in donatarium non tranſeunt. At regalia *minora*, ſeu *jura fiſci*, quippe quae fiſci reditus ſpectant, aliis communicari poſſunt. Ad minora regalia refertur jus publicandi bona damnatorum, jus piſcandi, vendendi, angarias, & parangarias indicendi, & alia hujuſmodi. Illud autem inter majora, & minora regalia intereſt, quod illa a Majeſtate abdicari nullo pacto poſſunt; horum vero emolumentum in alios quandoque ſeu expreſſo Principis conſenſu, ſeu praeſcriptione tranſferri ſolet.

Quo autem praeſcriptio Regalium locum habeat, oportet, ut juſti temporis poſſeſſio abſoluta ſit ſive a feudi poſſeſſore, ſive ab alio, cui in allodium ea jura a Principe conceſſa fuerint. Legitimum ex veteri Regni jure centum annorum ſpatium cenſetur (*a*); & centenaria praeſcriptio tituli locum habet. Id & a Carolo VI. probatum fuit, cum anno 1720. per gratiam Neapolitanis conceſſam voluit, ut centenaria praeſcriptione quivis ſecurus foret, modo is vitioſum titulum non haberet. Ceterum

(a) *Grot. de J. B. & P. I. 3. 6.*
(a) *Conſtit.* Quadragenalem. *De Prorogat. Praeſcript.*

rum id quidem locum habet, ſi cum fiſco lis ſit. Quod ſi inter privatos res agatur, regalia decem annorum ſpatio inter praeſentes, viginti inter abſentes praeſcribi poſſe, tradunt poſt Montanum (*a*) Interpretes plerique.

Illud poſtremo animadvertendum cenſeo, regale (i. e. jus a Principe conceſſum exigendi redditus, qui ad fiſcum pertinent) ſeu expreſſe conceſſum, ſeu legitime praeſcriptum augeri non poſſe. Si enim id privato liceret, ei novum regale conſtituendi jus foret. Augmentum enim nihil eſt aliud, niſi novum regale. Nova autem regalia conſtituere privato nefas. Recte itaque JCtus eos, qui nova vectigalia exercent, lege Julia de vi publica teneri, reſpondit (*b*).

TITULUS II.

De Fluminibus, ac Rivis.

CUm ad jura majeſtatis ea paſſim pertineant, quae *res publicas* veteres dixerunt; cumque in harum rerum cenſum flumina referantur, de iis aliqua ex patriis legibus adſpergemus. Veteres quidem aquam profluentem, & flumen diſtinxerunt. Illam inter res communes cen-

(a) *Montan. de Regal. in Praelud. p.* 31.
(b) *L. ult. ff. ad l. Jul. de vi public.*

cenſuerunt, utpote quae celeritate ſua cujuſque refugeret imperium: flumina vero, quatenus ripis, alveo, certiſque limitibus clauduntur, iis addixere, quorum finibus continerentur. A fluminibus *torrentia* diſtinxere, quae hyberno tempore fluunt, aeſtivo exſiccantur; eaque eorum dixerunt eſſe, per quorum fundos profluunt, *Rivos* etiam in publicos, & privatos diviſere Romani JCti. Publicos appellarunt prout vel per publicos fundos, aut in publicum uſum derivantur. Privatos dixere, qui vel per privatos fundos, aut in privatorum uſum a fluminibus ducuntur. Flumen autem a rivo aut magnitudine, aut exiſtimatione circumcolentium diſcerni, reſpondit Ulpianus (*a*).

Jam vero licet jure Romano de fluminibus ita ſit cautum; ex Regni tamen Neap. moribus flumina omnia cujuſcumque generis ea ſint, & quacumque decurrant, inter jura Majeſtatis haberi placuit. Nec audiendi ſunt, qui rem iſtam ex Friderici I. conſtitutione metiri volunt, qua ea tantum flumina inter regalia referuntur, quae navigabilia ſunt, aut ex quibus fiunt navigabilia (*b*). Ea enim conſtitutio numquam apud nos recepta; utpote quae nihil aliud continet, niſi pacta conventa inter Imperatorem, & Mediolanenſes.

Por-

(a) *l.* 1. §. 1. *ff. de Fluminib.*
(b) *Conſuet. Feud. lib.* 2. *tit.* 56.

Porro cum publicarum rerum uſus ad cives omnes pertineat, in fluminibus cuivis licebit piſcari, navigare, & moletrinas extruere. Id vero ad ea flumina extendi non debet, quorum uſum, ac reditum ſibi Princeps reſervaverit, aut alii conceſſerit. Proinde flumina baronibus conceſſa jure feudi nunquam praeſumi debent. Niſi enim ex expreſſa conceſſione, aut legitima praeſcriptione flumina ad barones pertineant, ab eorum uſu injuria feudi homines arcentur. Quare ex formula illa in feudalibus inveſtituris frequentiſſima, *cum fluminibus, aquis, aquarumque decurſibus*, fluminum uſum barones ſibi vindicare non poſſunt. Si ſecus dixeris, *montes, ſilvae, & ſaltus* omnes baronum erunt: in formula enim inveſtiturarum feudum conceditur cum *montibus, ſilvis, & ſaltibus*. Ceterum de regalibus illa regula obtinet, ea numquam conceſſa videri, niſi ſpecialim conceſſa oſtendantur (*a*).

Quod vero ad rivos attinet, de iis apud nos ita jus receptum, ut, ſi in privatis fundis oriantur, privati juris ſint, & ad fundi dominum pertineant, donec per privatum fundum decurrant: ubi oriantur in ſolo publico rivi, publici juris cenſeantur. Quapropter fundi dominus rivo ſuo uti abuti pro lubito poteſt; &, niſi ſervitus fuerit conſtituta, prohiberi nequit, quin aquas in vicinum praedium decur-

(a) *Sixtin. de Regal. lib.* 1. *c.* 5.

rentes alio avertat. Pervulgatum enim in jure civili eſt, neminem damnum facere, niſi qui id facit, quod facere jus non habet (*a*). Dominus vero ubi aquam inde abducit, quo decurrit; nullam vicino infert injuriam; ſed lucrum ei intercipit, quod aquae alienae beneficio percipiebat (*b*).

TITULUS III.

De Legibus contra admortizationem latis.

AD imperantes poteſtas omnium, ad ſingulos proprietas pertinet, ait Seneca (*c*). Ex ea poteſtate *eminens* Principis in ſingulorum bona dominium conſtitutum, quo cives rebus ſuis ſecundum certas leges, prout publice expedire videbitur, uti jubet. Quare ad Principem pertinet ſeu in ordinario, ſeu in extraordinario reip. ſtatu videre, ne quid reſp. detrimenti capiat, eaſque ferre leges, ſine quibus ipſa periclitari queat. Itaque jure ſuo *admortizationem*, quam dicunt, pro temporum ratione vetat, permittit. Operae pretium facturi videbimur, ſi diverſas *admortizationis* vices enarremus. *Ad-*

(a) *l.* Nemo 151. *ff. de Reg. Jur.*

(b) *Vid. Montan. de Regal. c.* Flumina navigabilia, *Caepoll. de ſervit. ruſtic. praedior. c.* 4. *alioſque.*

(c) *Senec. de Benefic.* 7. 4.

Admortizatio eſt facultas Principi competens, qua res immobiles in manus mortuas transferri permittit. Manus mortuae ſunt Eccleſiae, a quibus res ſemel acceptae in commercium non redeunt. Cum autem civitatis maxime intereſt, rerum commercium non imminui, ipſa ratione ſuadente, certas leges ferri oportuit, queis immodica adquirendi licentia Eccleſiis aliquando tandem interdiceretur.

Ubi rerum ſumma ad Conſtantinum delata eſt, is Eccleſiis Catholicorum inter licita collegia adſcitis, eis res omnes quocumque titulo adquirendi poteſtatem fecit. Qui ſequuti ſunt Chriſtiani Principes, Conſtantini legi hac in re nil quidquam derogarunt. Diſcerpto autem Romano Imperio, jus iſtud Eccleſiis non fuit uſquam imminutum. Ipſi Longobardi Principes adverſus Eccleſias indulgentiores a Romanis legibus non diſceſſerunt. Regno ad Northmannos delato, res ſaltem ſoli ſine ipſorum conſenſu ad Eccleſias redire ſunt vetitae, ſeu contractibus, ſeu teſtamento. (a) At Fridericus II. nil hac in re ultra molitus, tantum edicto vetuit, ne quis Templariis, Hoſpitalariis, ceteriſque ordinibus, a quibus *ſervitium Curiae minime debebatur, poſſeſſiones aliquo modo transferret.* Ubi quid contra legem

(a) *Videſis Manfredi privilegium* in Adnotation. *ad Conſultat. Stephani Patritii tom. 1. p. 152.*

donatum, relictumve foret, intra annum vendi, locarive juſſit. Si contra legem factum, poſſeſſiones ipſas fiſci juribus voluit applicari. (*a*) At Reges Andegavenſes, quo Romanis Pontificibus gratam navarent operam, Eccleſiis poteſtatem adquirendi reſtituerunt (*b*). Inde factum, ut pars praediorum maxima ad Eccleſias fuerit delata. Id cum maximo reip. detrimento foret, Neap. civitas primum Philippo IV. mox Carolo II. & Carolo VI. preces obtulit, ut Regni indemnitati proſpicerent, Sed res feliciter non ceſſit. Tandem Ferdinandus IV. P. F. A., admortizatione generatim vetita, malo obviam ivit.

Primum itaque Princeps providentiſſimus, regiis litteris ad Altamurae Praefectum datis III. Idus Februarii an. 1769. vetuit, ne tabelliones in Altamurano territorio contractus, aut teſtamenta deſcriberent, quibus aliquid Eccleſiis, lociſve piis foret relictum, tabellionibus, qui adverſus legem feciſſent, privationis muneris poena indicta (*c*). Tum V. Idus Septembris eodem anno per regias litteras generatim vetuit, ne quid locis piis in poſterum deferretur ſeu contractibus inter vivos, ſeu per ultimas

(a) *Conſtit.* Praedeceſſorum, *de Reb. ſtabil. Eccleſ. non alienand.*

(b) *Capit.* Univerſis Eccleſiis, *de Reſtit. eccleſ. libert.*

(c) *Collect. reg. litt. Part. 1. tit. 1, litt. 7.*

mas voluntates. Quin irritas haberi voluit alienationes omnes in favorem piorum locorum factas, ubi conditiones ſeu inſtrumentis, ſeu teſtamentis appoſitae non extitiſſent tempore latae legis. At ſi legati, aut contractus dies veniſſet, ut res ab Eccleſia peti poſſet ſeu ex contractu, ſeu ex teſtamento, eam penes ultimum poſſeſſorem remanere juſſit ſine reſtitutionis onere. (*a*) Quemadmodum & illud cautum eſt, ut, ſi Eccleſiae proprietas, laico uſusfructus fuerit ea lege relictus, ut poſt ejus mortem cum proprietate uſusfructus conſolidaretur, proprietas cum uſufructu fructuario conſolidetur. (*b*) Tantum Eccleſiis eas res adquirere permiſſum, in quarum pacifica poſſeſſione tempore latae legis fuiſſent. Si vero poſſeſſionis contradictio aut poſſeſſionem praeceſſiſſet, aut ejusdem temporis cum poſſeſſione foret, res a locis piis adquiri non poſſe, Rex providentiſſimus juſſit. Ubi porro contradictio poſt quaeſitam poſſeſſionem ſuſcepta foret, ea locum habebit, ſi juſta & probabilis fuerit, quae nimirum quaeſitam poſſeſſionem vitioſam reddat ex edicto Praetoris (*c*).

Ceterum nomine rerum, quae ad Eccleſias deferri prohibentur, & res ſoli, & res mobiles,

(a) *Collect. reg. litt. Par.* 1. *tit.* 1. *litt.* 8.
(b) *Ibid. litt.* 18. *an.* 1771.
(c) *Ibid. litt.* 11. *an.* 1770.

& ipſa numerata pecunia veniunt. Quin licet monialium dotes ſub cenſu conſignativo collocari queant, & locis piis promitti hypotheca poſſit in rebus immobilibus debitorum, ſi rem tamen hypothecae ſuppoſitam vendi oporteat, ea laicis vendi debet, locis piis adjudicari nequit. Quod ſi emtores non inveniantur, ejuſmodi res nomine Magnae Curiae adminiſtrabitur, ex eaque annui reditus Eccleſiae ſolventur (*a*). Illud autem certum eſt, Eccleſias non prohiberi res ſuas in meliorem formam redigere, & aes alienum ſolvere; quemadmodum & ipſis fas eſt, labantes domos reficere *ad normam* juris (*b*); modo tamen eas non extendant, aut dilatent (*c*). Id quoque Eccleſiis non negatur, ut res comparare queant ex cauſa aequalis permutationis; & ſortes ipſis reſtitutas iterum collocare, modo id Regis impetrata venia fiat (*d*). Nec prohibentur Monaſteria vel dotes monialium, vel alimenta pro educandis puellis petere (*e*).

Porro ne quando ſeu finita, ſeu reſoluta per canonis ceſſationem Eccleſiaſtica emphyteuſi, utile dominium ad Eccleſias rediret, conſtitutum

(a) *Collect. reg. litt. Par.* 1. *tit.* 1. *litt.* 12. *an.* 1770.
(b) *Collect. reg. litt. ibid. litt.* 17. *an.* 1771.
(c) *Ibid. T.* 3. *tit.* 1. *litt.* 14. *an.* 1773.
(d) *Ibid. T.* 1. *tit.* 1. *litt.* 19. *an.* 1771.
(e) *Ibid. T.* 3. *tit.* 1. *litt.* 24. *an.* 1774.

tum a Ferdinando IV. fuit, ut praedia Eccleſiaſtica in emphyteuſim conceſſa tamquam allodialia emphyteutarum haberentur, eaque quocumque contractus genere alienari poſsent, ſive cognationis linea ſupereſſet, ſive foret extincta. Ubi vero ob canonis ceſſationem, vel ob praedium deterius factum, devolutioni fieret locus, novam emphyteuſim cum altero laico conſtitui Rex providentiſſimus juſſit; ita tamen, ut *meliorationum* pretium veteri emphyteutae cederet, & vetus canon non augeretur. Ceterum cum locatio ad longum tempus i. e. ad decennium, emphyteuſeως jure cenſeatur, aequo jure cum emphyteuticis praedia haberi Rex optimus voluit, quae ad longum tempus ab Eccleſiis locata forent (*a*). Quod ſi per triennia, ſexennia, novennia locatus ſit Eccleſiaſticus fundus uni eidemque perſonae, ſeu familiae, judex religione ſua decernet, utrum emphyteuticus evaſerit, nec ne (*b*). Tantum ſi colonus fundum meliorem fecerit, & Eccleſia voluerit eum iterum locare, praelationem recte poſtulabit (*c*).

Ceterum & illud quoque admortizationis legibus cautum eſt, ut, ſi quis teſtator omnem hereditatem miſſis celebrandis abſumi jubeat,

(a) *Collect. reg. litt. T. I. P. 1. tit. 1. litt. 19. an. 1771.*

(b) *Ibid. T. 3. tit. 1. litt. 48. an. 1772.*

(c) *Ibid. litt. 32. an. 1774.*

hereditas libera ad heredes redeat. Quo autem aliqua ex parte teſtatorum pietati ſatisfiat, heredes ſingulis annis aliquot miſſarum celebrationi operam dabunt, vel ſinguli heredes ſingulas quotannis miſſas celebrari curabunt (*a*).

Illud poſtremo non eſt omittendum, nomine Eccleſiarum, quae legibus admortizationis continentur, non modo Eccleſias, & Monaſteria ſeu virorum, ſeu feminarum venire; ſed & eccleſiaſtica beneficia omnia, etiam laici patronatus, & ſodalitia etiam laicorum, necnon cappellanias perpetuas, quibus inſtituendis res immobiles deſtinari prohibentur. (*b*) Tantum loca pia laicorum ad publica pietatis opera inſtituta, quae a laicis adminiſtrantur, admortizationis legibus non comprehenduntur (*c*). Et nominatim collegio puellarum ſub titulo Conceptionis, vulgo S. Vincentii Ferrerii (*d*), necnon collegiis puellaribus alteri ſub titulo *S. Joachim*, alteri ſub titulo *S. Mariae Puritatis* (*e*) indultum, ut ne legibus admortizationis teneretur.

TI-

(a) *Ibid. T.* 1. *tit.* 1. *litt.* 14. *an.* 1770.
(b) *Ibid. lit.* 15. *an.* 1770.
(c) *Ibid. lit.* 8. *an.* 1769.
(d) *Ibid. litt.* 20. *an.* 1772.
(e) *Reg. litt. an.* 1789.

TITULUS IV.

De Rebus Universitatum.

NOmine Universitatum plerumque hominum collegia designantur rite sociata, seu sacrarum, seu profanarum rerum agendarum causa. Hujusmodi apud nos sunt monasteria, hospitalia, academiae. Ejusdem generis Romae censebantur olim collegia Naviculariorum, Pistorum, Mensorum frumenti &c. In praesenti autem argumento universitas dicitur *civilis hominum societas ex pluribus familiis certo sub regimine consociata*. Ita universitates dicuntur vici, pagi, civitates. Atque hac notione in legibus Regum Neapolitanorum saepissime universitatis nomen accipitur.

Jam vero res universitatis aliae ad communem singulorum usum comparatae sunt, & pertinent *ad singulos, uti singulos*; aliae usui universorum inserviunt, & pertinent *ad singulos, uti universos*. Prioris generis sunt theatra, stadia, silvae, nemora, pascua: posterioris generis censentur defensae, aliaque universitatis bona, quae demaniorum naturam non praeseferunt. Haec universitatis *patrimonium* dicuntur, cujus usus singulis civibus minime patet; quodque ab Administratoribus procuratur ad universitatis onera sustinenda.

Fundi, quorum usus singulis civibus datur de-

demania dici ſolent. Eorum uſus ita ſingulis civibus permittitur, ut ab iis neque vendi, neque alio modo concedi cuiquam poſſit. Cum vero Baro in feudo pro cive habeatur, is tamquam ditiſſimus inter cives demaniis univerſitatis utetur. Verum is uſus baronis perſonae cohaeret. (1) Proinde eum in alium, & in ipſum feudi conductorem transferre non poteſt. *Cives autem facit origo, manumiſſio, adlectio, vel adoptio: incolas vero domicilium facit*, reſcripſerunt Imperatores (*a*). Si itaque incolae eodem cum civibus jure cenſentur, profecto qui domicilium in aliqua civitate conſtituerunt, ſi ab univerſitatis demaniis arcentur, injuriarum adverſus prohibentem recte agent. Cives autem demaniis intra praeſcriptos uſus fines, & ex natura cujuſque demanii utentur; ac neque abuſui, neque compendio ſtudebunt. Si quid ultra ipſis ſit neceſſarium, aliunde ſibi parabunt; quidquid nonnulli contra attulerint.

Non

(1) Nec quidquam negotii faceſſunt verba in inveſtitura adhiberi ſolita, *cum nemoribus, aucupiis, fidis, paſcuis* &c. Jus enim *fidae* in inveſtiturae formula memoratum non eo ſpectat, ut vaſſalli ſine ejus ſolutione in baronum demania immittere animalia non poſſint; ſed potius id deſignat, ſi quae defenſae ad baronem pertineant, *fidam* a vaſſallis ſolvi oportere.

(a) *l. Cives* 1. C. *de Incol.*

Non modo ad universitatem pertinere demania solent, sed ad barones quoque, seu feudi jure ipsis fuerint concessa, seu legitima praescriptione quaesita. In dubio autem utrum ad baronem pertineant demania, an ad universitatem, pro universitate respondendum: feudum enim non praesumitur, nisi probetur. Ceterum quemadmodum in demaniis universitatis baroni civicus usus denegari nequit; ita & in demaniis baronalibus civibus usus competit: secus enim demania non essent. Illud autem inter feudalia, & universitatum demania interest, quod si quid inde baronis, & civium usui superfit, in demaniis baronalibus a barone, in demaniis universitatis ab ipsa universitate locetur (*a*).

Inter res autem universitatis, quarum usus civibus denegatur, censentur rustica & urbana praedia, moletrinae, furni, tabernae, vectigalia, & alia id genus. Fundi, qui ab universitate locantur, veluti pascua, memora, sylvae, recepto vocabulo *defensae* appellantur (1). In eas autem civibus ingredi, aut animalia immittere non licet sine solutione *fidae*. Cum vero

(a) *Covatruvias pract. quaest. cap.* 37.

(1) Vox *defensa* a voce Gallica *defendre* i. e. *prohibere* descendit. Hinc in Capitularibus Caroli M. *vineae defensae*, *mare defensum*, *herbae* vel *prata defensa* leguntur. Quare eo nomine loca designantur, in quae civibus aditus non patet.

vero demania civibus, & baroni pateant, neque civibus, neque baroni jus eſt in defenſas demania convertere, aut quidquam moliri, quo civicus uſus intervertatur. Invito enim altero, in re communi neminem quidquam facere poſſe ex ſententia Sabini, reſpondit Papinianus (*a*). Tantum ſi omnes cives conſentiant, exterique, ſi qui communionem cum territoriis univerſitatum habuerint, & Principi ita placuerit, (1) demania in defenſas converti poterunt (*b*). Omnes autem cives ad comitia vocatos in hanc rem conſentire oportet; ut unius diſſenſus rem rite geri non patiatur: quod enim ad omnes pertinet, ab omnibus debet adprobari (*c*). Si quis tamen ultro a comitiis ex recepto ritu indictis abfuerit, quod geſtum erit, non infirmabit.

Ceterum de *fida* plura animadvertere oportet. Eo nomine deſignatur certa ſolutio ob pecus in defenſas immiſſum. Si quis dolo malo, aut vi fidam non ſolvit, *diffidam*, i. e. poenam pro fida non ſoluta conſtitutam exſolvere cogetur (*d*). Fida autem ſemel conſtituta neque

(a) *l.* Sabinus 28. *ff. comm. divid.*
(b) *Pragm.* 11. *de Baron. & eor. Offic.*
(c) *Reg.* Quod omnes 29. *de Reg. Jur. in VI.*
(1) Principis autem conſenſus potiſſimum requiritur, ubi in demaniis univerſitatis defenſae baroni conſtituuntur. Id inde receptum, quia Principis eſt, videre, ne quid detrimentum univerſitates capiant.
(d) Du-Cange *v. Diffidare.*

que augeri, neque immutari potest (*a*). Quin si loco pecuniae res aliae praestari consueverint, pecuniam pro rebus petere baroni non licebit (*b*).

Quod ad vectigalia universitatum attinet, ea locari non possunt, nisi per auctionem, & praestita satisdatione. Ab auctione vero repelluntur universitatis administratores, ac debitores (*c*). Ceterum locatio quotannis facienda. Ex pecunia autem inde redacta primum fisco, & creditoribus *fiscalariis*; tum creditoribus *instrumentariis* satisfieri debet. Si quid supereſt, nomina primum expungi, mox aliquid emi oportet, quod usui sit universitati; modo nihil quotannis impendi debeat in pontium, viarumque, aut aliarum hujusmodi rerum refectionem (*d*).

Porro res universitatum ab earum administratoribus procurantur. Ii quotannis in comitiis rite indictis eligentur (*e*), comitiisque intererit pagi, urbisve Gubernator (*f*). Electio autem ex re-

(a) *Afflictus ad constit.* Quum per partes Apul
(b) *Argum. l.* Domini 5. *C. de Agric.*
(1) Qui plura de *fida*, ac *diffida* desiderat, adeat Novarium Tract. de Gravaminib. vassall. Afflictum ad Constit. *Cum per partes Apuliae*, aliosque.
(c) *Pragm.* 5. §. 6. 8. *de Administr. Universit.*
(d) *Pragm.* 15. *eod.*
(e) *Pragm.* 2. *eod.*
(f) *Pragm.* 14. *eod.*

recepto ritu vel a decurionibus peragetur, vel ab universis civibus per secreta suffragia (*a*). Ad administratorum porro munus eligi prohibentur pater, & filius, & duo fratres simul. Quin & qui gesti muneris rationes nondum reddidere, & universitatis ex quavis causa debitores ab ejus administratione repelluntur (*b*). Ceterum administratores, exacto anno, ab expleto munere discedent. Si cives post redditas ab administratoribus rationes concordi suffragio, nemine contradicente, eos in administrationis munere confirmaverint, & regius consensus accesserit, poterunt in alterum annum munus gerere (*c*). Illud quoque certum est, eos, qui universitatis munus aliquod gesserint, ad idem munus nonnisi post quinquennium, ad aliud vero munus post triennium eligi posse (*d*).

Cum vero Administratoribus potissimum pecunia universitatis curae sit, ab ejus debitoribus eam exigere debent, nisi velint de suo teneri. Quo autem facilius pecunia exigatur

(a) *Collect. reg. lit. P.* 2. *tit.* 86. *litt.* 26. *an.* 1759.

(1) Olim electi administratores plerumque a barone confirmandi erant ex *Pragm.* 2. *de Administr. Universit.* Sed hodie barones nisi expressam concessionem afferant, confirmare administratores quovis alio titulo frustra postulabunt. *Collect. reg. litt, P.* 2. *tit.* 89. *lit.* 19. *an.* 1758.

(b) *Pragm.* 5. *de Administr. Universit.*

(c) *Collect. reg. litt. P.* 2. *tit.* 86. *litt.* 24. *an.* 1758.

(d) *L.* Ab honoribus 2. *C. de Mun. & Hon.*

tur, Adminiſtratores eum, qui jurisdictioni praeeſt, libello adibunt, qui ſine ſcripto, nulliſque exactis ſportulis, debitores per capturam ſeu ipſorum, ſeu pignorum, ad ſolutionem compellet (*a*).

Annuo munere perfuncti Univerſitatum adminiſtratores in decem diebus proximis ab adminiſtratione exacta rationes exibebunt. Iis intra menſem accurate expenſis, novi adminiſtratores ad reliqua inferenda veteres compellent ſeu perſonali, ſeu reali actione. Tacita enim hypotheca competit univerſitatibus in res adminiſtratorum a die ſuſceptae adminiſtrationis (*b*). Hac autem in ſpecie illud eſt animadvertendum, jus eſſe baroni tamquam uni e civibus curare, ut rationes ſecundum leges reddantur (*c*).

TI-

(a) *Pragm.* 5. *de Adminiſtr. Univerſit.*
(b) *Pragm.* 9. *eod.*
(c) *Pragm.* 5. *eod.*

TITULUS V.

De Uſucapionibus, & Praeſcriptionibus;

ALii ſunt adquirendi modi jure gentium; alii jure civili. De modis adquirendi jure gentium cum nulla occurrat mentio in patriis legibus, civiles tantum adquirendi modos paucis perſequemur. Hi autem adquirendi modi vel ſunt ſingulares, vel univerſales. Ad ſingulares refertur uſucapio, donationes propter nuptias, inveſtitura feudalis; ad univerſales adquirendi modos pertinent hereditates. Feudalem inveſtituram in Praelectionibus Feudalibus videbimus: de reliquis heic ex ordine diſputabimus, ac rem omnem ab uſucapione auſpicabimur.

Quae Romanis legibus circa uſucapiones conſtituta ſunt, licet non omni ex parte Longobardis arriſerint, (a) Friderico II. tamen placuiſſe conſtat. Is itaque jus Rom. ſequutus edixit, ut res mobiles triennio, immobiles decennio inter praeſentes, vicennio inter abſentes praeſcriberentur, *praecedente tamen titulo, & bona fide ex utraque parte undique concurrente*. Quin & triginta annis actiones omnes ex-

(a) *L. L. lib. 2. tit. 35. l. 5. 7. 9.*

extingui juſſit, hypothecariam adverſus debitorem, ejuſque heredem quadraginta annos durare voluit (*a*).

Quamvis autem haec certa ſint; frequentes tamen apud nos excitabantur olim de praeſcriptione lites. Ea enim cum nonnullis probaretur, ab aliis naturali veluti aequitati adverſa rejiciebatur. Eapropter an. 1738. omnes S.R.C. Patres in unum coacti definiverunt, praeſcriptioni apud nos locum eſſe oportere, *modo conditionibus ab jure civili, Pontificio, ac lege municipali praeſtitutis plane ſit confirmata. Propterea neque debitorem, qui ob conſcientiam debiti ſemper eſt in mala fide; neque heredem licet bonae fidei, qui poſſeſſori malae fidei ſucceſſerit, praeſcriptione juvari umquam poſſe. Ceterum in tertio poſſeſſore bonam fidem praeſumendam; ideoque lapſu triginta annorum a die natae actionis, ac deductis temporibus de jure deducendis, legitima praeſcriptione eum recte uti poſſe. Ad hanc tamen excludendam licere actori, apertis argumentis probare, illum poſſeſſorem ſive ab initio, ſive intra praeſcriptionis ſpatium vere in mala fide fuiſſe, probationibus praeſumtae malae fidei prorſus rejectis* (*b*).

(a) *Conſt.* Duram, & diram, *de Praeſcript.*

(1) His illud addidit Ferdinandus Aragonius, praeſcriptionem occaſione belli, vel peſtis non impediri, niſi petitor oſtenderit, ſe ea de cauſa neceſſario abeſſe oportuiſſe. *Pragm.*1.de Praeſcription. *an.*1477.

(b) *Pragm. 3. de Praeſcript.*

Hanc S. C. deciſionem Carolus Borbonius probavit reſcripto ſuo an. 1742. (*a*) Ex ea autem deciſione duo potiſſimum ſunt animadvertenda: Primum in praeſcriptione jure Neap. recepta *conditiones* requiri jure Pontificio praeſtitutas, proinde continenti bona fide opus eſſe; ut, *qui praeſcribit, in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienae* (*b*): quod ſane juri civili non conſonat (*c*). Alterum, tertium poſſeſſorem, triginta annorum ſpatio exacto, legitima praeſcriptione juvari; licere vero actori demonſtrare, malam fidem in tertio poſſeſſore ſive ab initio, ſive intra ipſum praeſcriptionis tempus fuiſſe; modo id apertis argumentis evicerit, non vero malae fidei praeſumtionibus (1).

Porro eadem S. C. Deciſione illud fuit conſtitutum, ex certis cauſis intra certum tempus pe-

(a) *Reſcriptum hoc habetur poſt Pragmaticam unicam* de Aliment. praeſtand.

(b) *Cap.* Quoniam 20. *e x de Praeſcript.*

(c) *l.* Alienam 13. *ff. pro Emtore.*

(1) Verba deciſionis S.C. *deductis temporibus de jure deducendis* ſpecies eas comprehendunt, quibus jus Romanum praeſcriptionis tempora decurrere vetat. Ita abſentes Reip. cauſa l. Cum per abſentiam 2. C. *Quib. non objic. long. temp. praeſcr.* fiiiif. vindicantes bona materna ab iis, queis pater vendidit, vel donavit l. Res quae C. *de Bon. matern.* milites in expeditione poſiti l. Tempus 1. l. Sancimus 8. C. *Quib. non objic. long. temp. praeſcr.* legitima praeſcriptionis tempora non reformidant.

peti oportere: eo elapſo ſpatio, petentes ob praeſumtam ſolutionem repelli. Ita advocati, & procuratores, ex quo vel patrocinium reliquerunt, vel mandato defecti ſunt, ſi intra biennium de honorario non egerint, elapſo biennio, non audientur. Itidem tabelliones poſt biennium a conſcripto inſtrumento ſi mercedem petent, repellentur. Id tamen locum habet, ubi exemplum non tradiderint; eo enim intra ipſum biennium tradito, fruſtra mercedem poſtulabunt. Quin pharmacopolis, ſi cum aegroto de medicamentorum pretio agant, biennium indulgetur; ſi vero cum heredibus contendant, bimeſtre ſpatium datur. Fabri, artifices intra annum; famuli, quique operas ſuas quovis modo locarunt intra bimeſtre tempus experiri poſſunt. Haec autem omnia locum non habebunt, ubi ſeu ex publicis, ſeu ex privatis inſtrumentis debitum appareat, quemadmodum idem S. C. Deciſione ſua declaravit.

Jam vero praeter memoratam Friderici conſtitutionem, duae aliae ab ipſo Principe latae fuerunt de praeſcriptione leges. Earum altera quidem ipſe juſſit, eum, qui triginta annis feudum, ejuſve partem poſſederit, praeſtito continenter Regiae Curiae ſervitio, praeſente etiam in Regno adverſario ſuo, in poſſeſſione ſecurum eſſe detinendum (*a*). Altera conſtitutione edixit

(a) *Conſt.* Conſuetudinem pravam, *de Rei actionem & except.*

Fridericus, ut nec quadragenaria juris Romani, nec ſexagenaria juris Longobardici praeſcriptio, ſed centenaria tantum fiſco obeſſet (*a*); quod & a Carolo VI. fuit confirmatum an. 1720. (*b*).

Huc referri poteſt, quod in Neapolitano territorio ex receptis moribus contra jus Romanum (*c*) ſervatur, Scilicet ſi ſocii, vel fratres domum inter ſe diviſerint, & in inſtrumento diviſionis ſervitutem in re diviſa conſtitutam pronunciaverint, per cujuſvis temporis non uſum ſervitus non perimitur (*d*). Quin ſi in inſtrumento diviſionis expreſſe non aſſeratur, ſervitutem alicui conſortium, vel coheredum ab altero deberi, vel longiſſimi temporis praeſcriptio poſſeſſorem, vel quaſi poſſeſſorem ſervitutis non juvabit (*e*). Negatoria itaque actione coheredibus, vel ſociis adverſus poſſeſſorem expediri licebit.

TI-

(a) *Conſt.* Quadragenalem, *de Prorogat. praeſcript.*
(b) *Privileg. tom.* 2.
(c) *l.* Cum talis 14. *C. de Servitut. & aqua.*
(d) *Conſuet.* Ubi reperitur, *de Aperturis non faciend.*
(e) *Conſuet.* Amplius, *eod.*

TITULUS VI.

De Donationibus propter nuptias, & de Antefato.

DOnationes ante nuptias veteribus Romanis ignotas primi omnium meminerunt Theodoſius, & Valentinianus (*a*). Hujuſmodi donationes fiebant a ſponſis olim ante nuptias pro dotium ſecuritate, earumque dominium, conſtante matrimonio, apud viros ipſos manebat. Id ideo cautum, ne SCto, quo donationes inter conjuges vetabantur, fraus fieret. Verum, aucta conſtante matrimonio dote, eas donationes augeri permiſit Juſtinus (*b*). Indulgentior Juſtinianus donationes ipſas poſt contractum matrimonium fieri permiſit, modo dotem non excederent. Eas propterea non *ante nuptias*, ut olim; ſed *propter nuptias donationes* appellari voluit (*c*).

Tria potiſſimum commoda ex donationibus propter nuptias mulieri obveniebant. Primum, in res donatas hypotheca conſtituta, ceteris mariti creditoribus in illis mulier praefereba-tur (*d*). Deinde ubi ſine juſta cauſa maritus

(a) *l.* Conſenſu 8. §. 4. *C. de Repud. & judic.*
(b) *l.* Si conſtante 19. *C. de Donat. ante nupt.*
(c) *l.* Cum multae 20. *C. eod.*
(d) *l.* Ubi adhuc 29. *C. de Jur. dot.*

divertiſſet, quatenus in tabulis nuptialibus cautum, res donatae uxori cedebant (*a*). Poſtremo quibus in caſibus maritus aut dotem omnem, aut dotis partem adquirebat, iiſdem caſibus mulieri res donatae aut omnes, aut ex parte obveniebant (*b*).

Jam vero donationibus propter nuptias dotarium, tertiariam, quartam, (1) antefatum apud nos ſucceſſiſſe, contendunt Pragmatici plerique omnes. Cum tamen donatio propter nuptias in dotis ſecuritatem fuerit inventa; dotarium vero, tertiaria, quarta, & antefatum ob lucrum uxorum invaluerit, horum originem non apud Romanos quidem, ſed apud Longobardos deprehendere oportebit.

Apud Longobardos aut nullae, aut permodicae mulieribus dotes erant. Proinde uxores viros ſpoliare rebus ſuis, quoad poſſent, ſatagebant. Gliſcenti licentiae quo obviam iret Liutprandus, edicto vetuit, ne quis uxori quidquam donaret praeter *mephium*, & *morgincam*. Mephium erat pretium perpetuae tutelae, quo vir uxorem a mundio redimebat ſive parentum, ſive agnatorum. Quod autem parentibus, agnatiſve ſolvebatur olim mephium, ipſis

(a) *l.* Conſenſu 8. §. 5. *C. de Repud.*
(b) *Novell.* 97. *c.* 1.
(1) Dotarium in bonis feudalibus, tertiaria in allodialibus conſtituitur, quarta ex Conſuetudine Neap. originem ducit.

ipſis mulieribus ſolvi poſtea coepit. Illud autem, ubi a primi ordinis nobilibus ſolveretur, quadringentos ſolidos; ubi a ceteris nobilibus ſolvi oporteret, trecentos ſolidos excedere vetuit Liutprandus: ſi qua ſecundis funeſtaretur nuptiis, mephii dimidium ei ſolvi juſſit (*a*).

Quod vero ad morgincam, unde potius lucris nuptialibus origo ducenda, ea ſane nihil fuit aliud, quam donatio poſt primam nuptiarum noctem a marito uxori facta, veluti ablatae virginitatis hoſtimentum. Hujuſmodi donationibus cum ſaepius totum patrimonium abſumerent mariti, a Liutprando cautum, ne quis eo nomine ultra bonorum quartam uxori donaret (*b*). Sed legem vicere mores; & interdum tertiam bonorum partem morgincae titulo donatam, memoriae proditum (*c*). Quo autem promiſſae ante nuptias morgincae nomine donationes, initis nuptiis, conſtarent, in tabulis nuptialibus eas ſibi promitti curabant mulieres. Inde factum, ut hujuſmodi ſeu tertia, ſeu quarta in neceſſitatem abierit.

Porro tres occurrunt de dotario Conſtitutiones. Prima eſt Rogerii, altera Friderici, tertia Guilelmi. Rogerius quidem dotarium in feudo conſtituere baroni permiſit, ubi is ſaltem tria

(a) *L. L. lib. 2. tit. 4. & 8.*
(b) *L. L. lib. 2. tit. 4.*
(c) *Murat. Rer. Ital. diſſert. 20.*

feuda habuerit (*a*). Fridericus autem id jus conſtituendi in feudo dotem baroni eſſe voluit, ſi duo, aut certe unum cum dimidio feudum ipſi forent (*b*). Guilelmus denique *de baronia dotarium ſubtrahi vetuit*, i. e. cavit, ut pecunia dotarii nomine mulieri data, ea mortua, rediret ad feudum (*c*). Si vero a burgenſibus conſtituendum dotarium foret, id quidem in triente bonorum in Regni provinciis, in quarta in Urbe mulieri conſtituebatur; ita quidem, ut ſolus uſusfructus ipſi cederet, ſi liberi forent; ſi nulli adeſſent liberi, ipſa proprietas ad eam deferretur.

Ita ſane de lucris uxoriis apud nos comparatae olim res fuerunt. Cum vero ſaepiſſime mulieres hujuſmodi lucrorum ipſam proprietatem nactae ad alienas familias ea transferrent, Dux Oſſunienſis Neapoli vice ſacra agens, ordine, populoque Neapolitano rogante, per pragmaticam editam an. 1617. uxoria lucra certis finibus coërcuit. Itaque ea pragmatica cautum, ut in poſterum ſeu barones, ſeu burgenſes, ſeu in urbe, ſeu in Regni provinciis, quovis modo matrimonium foret contractum, dotario, tertiaria, quartà abolitis, uno antefato ſecundum ejus legis regulas uterentur: an-

(a) *Conſtitut.* Si quis baro, *de Dotar. conſtit.*
(b) *Conſtit.* Licentiam, *de Dotib.*
(c) *Conſt.* Mulier, *de Dotariis conſtituend.*

antefati autem ſolus uſusfructus uxori cederet, licet nulli extarent liberi; qui tamen, defuncta muliere, ad heredes mariti rediret; quod ſi mulier iterum nuberet, medietatem antefati ex ſecundis nuptiis nanciſceretur. Quin & illud eadem pragmatica fuit conſtitutum, ut, quantitati dotis quantitas antefati reſponderet. Ita ſi dos non excedat ſummam ducatorum quatuor millium, antefatum eſt tertia pars dotis (*per terzo*) donativum (*a*) vero, ſeu uſusfructus hujuſce tertiae partis eſt ducatorum octo in ſingula centena. Si dos ſit ultra quatuor millia uſque ad decem millia, antefatum eſt quarta pars dotis (25. *per cento*,) donativum ducatorum ſex in ſingula centena. Si dos ſit ultra decem millia, ſed non excedat ducatorum viginti millia, antefatum eſt quinta pars dotis (*venti per cento*,) donativum vero ducatorum quinque in ſingula centena. Si dos ſit ultra viginti, non ſupra triginta millia, antefatum computatur ducatorum quindecim in ſingula centena, donativum vero ducatorum quatuor in ſingula centena. Ubi porro dos excedat ſummam ducatorum triginta millium, antefatum, & donativum pactis contrahentium definietur; modo nec antefatum excedat ſummam ducatorum quindecim

(a) *Donativi* nomine in Pragmatica memorati intelligitur uſusfructus ex debito antefato tanquam ex ſorte quadam proveniens.

decim pro quibuſque centenis, nec donativum computetur ultra ducatos quatuor in ſingula centena. Eadem poſtremo pragmatica illud fuit definitum, donationem (vulgo per *lacci e ſpille*,) quae in tabulis nuptialibus uxori ſolet a marito ſive annua, ſive menſtrua, conſtante matrimonio, conſtitui, peti non poſſe, niſi pro ultimo anno, quo maritus deceſſit; niſi mariti heredes factam ejus anni ſolutionem docuerint (*a*).

Ex his, quae hucuſque memoravimus, plane liquet, filios non ex propria perſona, i. e. non tamquam filios, ſed tamquam heredes in antefatum ſuccedere. Decretoria ſunt Pragmaticae verba, quibus effertur, antefatum ad *mariti heredes* redire oportere. Inde fortaſſe factum, ut ad lites praecidendas in tabulis nuptialibus caveri ſoleat, ut filii tamquam filii, non tamquam heredes ſuccedant (*b*). Nihil autem refert, utrum in inſtrumentis nuptialibus promiſſum, conſtitutumque ſit antefatum, necne; qui enim nihil de ea re in nuptialibus tabulis caverunt, eam legibus remiſere. Ceterum cum antefatum doti reſpondeat, dote non ſoluta, aut ſolutione ob moram ſeu mulieris, ſeu dotantis non peracta, nihil antefati nomine peti poteſt. Id tamen ſecus ſe habet, ubi ſolutio ex viri conſenſu di-

(a) *Pragmat. unic. de Antefato.*
(b) *de Luca obſerv. ad Deciſ.* 620.

dilata ſit (*a*). Quod vero de Antefato diximus, ad *ſuperviventiam* non eſt producendum. Superviventia dicitur donatio, quae in nuptialibus tabulis conſtitui ſolet, ut vidua dignitatem ſuam tueri poſſit. Quare etiamſi dos non fuerit ſoluta, ſuperviventia omnino debetur: non enim ratione dotis ea promittitur, ſed dignitatis tuendae cauſa.

TITULUS VII.

De Servitutibus praediorum.

DE ſervitutibus perſonalibus nihil a jure Romano receſſerunt patriae leges: verum de praedialibus quaedam ex receptis moribus in Neapolitano territorio invaluerunt; nonnulla Regni legibus cauta ſunt. Haec paucis enarrabimus.

Hujus Urbis Conſuetudine illud favore agriculturae fuit receptum, ut, ſi quis ruſticum praedium habeat medium inter vicinorum fundos, quo aditus non ſit, poſſit iter, actum, aut viam a vicino petere, ſervitutis pretio oblato. Si plures ſint vicini, is cogetur ſervitutem praeſtare, qui propius ad viam publicam ac-

(a) *Afflict. Deciſ.* 242. *n.* 5. *& Deciſ.* 333.

accedat, aut qua vehiculum duci poſſit (*a*).

Jam vero quamvis veteri Romano jure quidvis in noſtro facere nobis liceat, modo, legibus de publica aedificiorum forma ſervatis, nihil in vicini aream immittamus; (1) jure tamen novo ea de re aliter cautum. Privata quidem aedificia quindecim pedes a publicis diſtare juſſerunt Imperatores (*b*); a privatorum vero aedibus moeniana decem pedes abeſſe voluere Honorius, & Theodoſius (*c*). At Zeno conſtitutione ſua rem omnes pleniſſime definivit. Edixit itaque, ut, ſi quis novum aedificium extrueret, quod a vicini aedibus duodecim pedes diſtaret, liceret ei pro lubito aedificare, & feneſtras ſeu *luciferas*, ſeu proſpectivas in ſuo pariete aperire. Si a vicini aedibus novum aedificium non amplius decem pedibus abeſſet, feneſtras tantum luciferas in pariete aperiri permiſit ſex pedes ſupra pavimentum poſitas: intra id ſpatium novum aedificium excitari noluit, niſi ſecus pactis conventum. Novo autem aedificio maris proſpectum adi-

(a) *Conſuet.* Si quis habens 1. *de Servitut.*

(1) Ex xvirali jure inter vicinas aedes ſpatium duorum pedum cum ſemiſſe intercedere oportebat. Ubi vero prope locum vicini purum quis inaedificaſſet, duorum pedum ſpatium relinquere jubebatur. *L. ult. ff. Fin. regund.* Vid. Cujac. *Obſerv.* 1. 4.

(b) *l.* Si cui 9. *C. de Aedific. privat.*

(c) *l.* Moeniana 11. *C. eod.*

adimi vicinis vetuit: nisi inter vetus, & novum aedificium centum pedes intermedii intercederent (1). Ceterum si quis vetera aedificia reparare vellet, eum antiquam eorum formam servare oportere jussit (*a*).

Porro per Consuetudines Neapolitanas nonnihil Romano juri fuit derogatum. Ita quidem ipsis cavetur, ut, si quis voluerit in suo aedificium novum extruere, ei non liceat fenestras, vel alias aperturas in pariete facere, nisi recens aedificium duodecim palmos a vicini solo distet: fenestrae enim juxta aream, vel aedificium vicini, nisi constituta servitute, aperiri non possunt (*b*). Itidem prohibetur vicinus aedificare contra parietem vicini, in quo sit fenestra dossitia (2), vel alia apertura, nisi intercedat duodecim palmorum intervallum (*c*). Ceterum vicinus contra vicini fenestras aedificare

(1) Dubitatum olim fuit, utrum constitutio Zenoniana in l. 12. C. *de Aedific. privat.* ad solam Constantinopolim pertineret, an totum Romanum orbem respiceret. Justinianus lites omnes praecidit, constitutionemque Zenonis omne Romanum imperium spectare declaravit l. Cum dubitabatur 13. C. *eod.*

(a) *l.* Ex quo 12. C. *de Aedif. privat.*

(b) *Consuet.* Ubi aliquis, *de Aperturis non faciend.*

(2) *Dossitiae* fenestrae sunt, quae solius luminis, non prospectus causa, quasi in dorso parietis aperiuntur. Napodan. *ad Consuet.* Inter servitutes,

(c) *Consuet.* Si quis habet *eod.*

care prohibetur, ubi in iis ſint antepagmenta, ſeu latera extrinſecus proſtantia, quae *cantones* in Conſuetudine dicuntur, vel ferrei cancelli, ubi luciferae ſint feneſtrae. (*a*) Ea ſi deſint, feneſtrae cenſentur clam extructae, iiſque non debet vicino moleſtia creari per novi operis nunciationem; niſi jure eo pacto apertas conſtet. Hinc porro intelligitur, cur S. C. aedificium conſtrui permiſerit, quo maris adſpectus adimeretur. Cum enim Conſuetudo ultra duodecim palmos aedificare cuivis permittat, nihil profecto eſt, quod conſtitutio Zenonis obtrudatur; eo vel magis quod S. C. ſententiam Ferdinandus IV. rex fauſtiſſimus reſcripto ſuo confirmavit (*b*).

Illud quoque majoribus noſtris placuit, ut liceret vicino in coecum vicini parietem tigna immittere, aliudve ſui aedificii onus imponere, ſoluta medietate pretii, quanti foret paries aeſtimatus. Quod ſi vicinus ita aedificet, ut *tegularum capita*, *& lacertum aſtraci* aedificio vicini incumbat, quadrantem pretii ipſius parietis ſolvere cogitur. (*c*) Sed ab hac Conſuetudinis ſubtilitate fori aequitas jamdiu receſſit; & vicinus quovis modo alterius pariete utatur, pretii dimidium ſolvere jubetur. Soluto autem pre-

(a) *Conſuet.* Et ubicumque *de Servitut.*
(b) *Collect. reg. litt. P.2. tit. 136. litt. 1. an. 1776.*
(c) *Conſuet.* Sed ſi recumbat, *eod.*

pretio, ubi paries communis factus reficiendus sit, ambo vicini ob commune dominium communi sumtu eum reficere debebunt.

Porro si vicini paries coecus non sit, sed fenestras habeat luciferas, potest vicinus, dimidio pretii soluto, novum aedificium in vicini parietem immittere; modo id, si subdiali pavimento tegatur, octo palmos distet a vicini fenestris; sin tegulis operiatur, palmi spatium iisdem fenestris subsit. (*a*) Id ita receptum, ne, si quid amplius vicino aedificanti liceat, aut vicini luminibus officiatur, aut in vicini aedes adspectus, adituve patefiat. Quod si in vicini aedibus nullae sint fenestrae; sed inde aut stillicidium casitet, aut flumen, poterit quidem vicinus novum aedificium cum vicini pariete conjungere; ita tamen, ut ubi ad protectum, aut subdiale pavimentum deveniatur, palmum saltem unum a veteri aedificio novum abesse oporteat, quo flumini, aut stillicidio liber exitus pateat. Ceterum non prohibetur vicinus novum aedificium ulterius, prout libuerit, extollere. Id vero si moliatur, murum coecum palmorum octo tollere debet, ne vicini solario, aut aedibus incommodet (*b*).

Porro si quis non contra vicini fenestras, sed

(a) *Consuet.* Et si ex latere, *de Servitut.*

(b) *Consuet.* Si quis habens. *Consuet.* Si aliquis, *de Apert. non faciend.*

ſed e latere aedificet, ut recens aedificium conjunctum veteri angulum faciat, eum quidem ita aedificare oportebit, ut vicini feneſtrae duos palmos & beſſem a latere novi aedificii diſtent (*a*). At ſi in porrectum ſecundum vicini aedes aedificare quis velit, ſi quas feneſtras aperire voluerit, eae ab intergerino pariete duos palmos, & beſſem abeſſe debent; ut, intergerino pariete computato, qui plerumque duos palmos patere ſolet, novae feneſtrae a vicini feneſtris ſeptem palmos, & trientem diſtent. Hanc ſententiam, quam in Neapolitanis Conſuetudinibus fruſtra quaeſiveris, apud Tabularios tamen paſſim aetate ſua receptam memoriae prodidit Car. Antonius de Roſa (*b*) (1).

Ceterum licet jure patrio, non ſecus ac jure Romano ſervitutes praeſcribi poſſint; tamen quae-

(a) *Conſuet.* Et ſi ex latere. *de ſervitut.*

(1) Huc referri poteſt, quod ex receptis moribus in dicto territorio Neap. obtinet, ut non liceat vicino in parietem communem immittere trabem piſtrini, ſeu centimuli, quod in ſuo facere ipſe velit. *Conſuet.* Si velit, *de fac. centimul.* Quin & prohibetur vicinus in domo ſua, quae domui alterius ſit conjuncta, paleas, vel foenum, vel ligna habere, niſi quatenus ſufficiat pro uſu ſuorum animalium; quod & de lino in fuſte non diſcuſſo fuit receptum. Tantum licebit, linum habere, quodcumque ex proprio fundo provenit. *Conſuet.* Non licet, *eod.*

(b) *de Roſa ad Conſuet.* Et ſi ex latere *n.* 16.

quaedam in Neapolitano territorio jure non ſcripto occurrunt ſpecies, in quibus praeſcriptioni locus non datur. Ita ſi quis contra vicinum *caſalenum*, i. e. domum collapſam, feneſtras aperuerit, onus immiſerit, aliove modo ſervitutem induxerit, is ne longiſſimi quidem temporis praeſcriptione juvabitur (*a*). Quin ubi in tabulis diviſionis fuerit conventum, ut fratribus, aliiſve conſortibus debeatur, aut ne debeatur ſervitus, fratres, ac conſortes, eorumque ſive univerſales, ſeu ſingulares ſucceſſores quacumque vel longiſſimi tamporis praeſcriptione ſervitutem adverſus pacta conventa adquirere, vel amittere non poterunt (*b*). Poſtremo & illud hac in re apud nos fuit receptum, ut, ſi in inſtrumento diviſionis nulla ſervitutis mentio facta ſit, conſors quacumque vel longiſſimi temporis poſſeſſione ſervitutem adquirere non poſſit (*c*).

(a) *Conſuet.* Contra habentem 3. *de Apertar. non faciend.*

(b) *Conſuet.* Ubi reperitur, *eod.*

(c) *Conſuet.* Amplius, *eod.*

TITULUS VIII.

De Operis Novi Nunciatione.

NOvum opus nunciatur, ubi quis monetur, ne quid operis novi faciat (a). Opus autem novum facere videtur, qui aut aedificando, aut detrahendo aliquid, priſtinam faciem operis mutat (b). Non omnia porro opera in novi operis nunciatione comprehendi, reſpondit Ulpianus; ſed ea tantum, quae ſolo conjuncta ſunt, quorum aedificatio, vel demolitio videtur opus novum continere (c). Itaque ſi quis meſſem faciat, arborem ſuccidat, vineam putet, opus novum non facit: quod & de eo reſpondit JCtus, qui vetus aedificium fulcit (d).

Jam vero nunciatio fit aut juris noſtri conſervandi cauſa, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratia (e). Ita ſi quis in aedes noſtras quid immittat, aut in loco noſtro aedificet, novi operis nunciatione jus noſtrum nobis conſervabimus (f). Eodem ſane pacto poſſumus opus novum nunciare, ut damni infecti

(a) *l.* Praetor ait 20. *ff. h. t.*
(b) *l.* 1. §. 11. *ff. eod.*
(c) *d. l.* 1. §. 12. *eod.*
(d) *d. l.* 1. §. 13. *eod.*
(e) *d. l.* 1. §. 16. *eod.*
(f) *l.* De pupillo 5. §. 8. *ff. eod.*

fecti nobis caveatur ab eo, qui forte in publico, vel in privato quid molitur. Et si quis contra leges, vel in loco sacro, religioso, aut publico aedificarit, adversus eum novi operis nunciatio locum habebit (*a*). Ceterum novum opus nunciare is tantum poterit, ad quem res pertinet (*b*). Nihil autem interest, utrum nunciationem nostro, an alieno nomine faciamus. Proinde fructuarius, qui suo nomine nunciare non potest, procuratorio nomine recte nunciat (*c*). Illud vero certi juris est, non utique domino nunciari oportere: sufficere enim ei nunciari, respondit Ulpianus, qui in re praesenti fuerit; usque adeo, ut etiam fabris, vel opificibus, qui eo loci operantur, nunciatio fieri possit. In re enim praesenti, h. e. in ipso opere nunciationem faciendam, ait idem JCtus; quod ideo receptum, ut confestim ab ipso opere discedatur (*d*).

Novi operis nunciatio vel publice fiebat olim, auctoritate scilicet Praetoris; vel privatim. Privata nunciato vel *verbalis* erat, vel *realis*. Verbalis, quae proprie *nunciatio* dicitur, nudis verbis fiebat, eaque nuncians domino, operis, aliisve, qui vice domini sunt,

(a) *d. l.* 1. §. 17. *eod.*
(b) 7. *l.* 1. §. 3. *eod.*
(c) *d. l.* 1. §. *ult. eod.*
(d) *l.* De pupillo 5. §. 3. 4. *ff. eod.*

in re praesenti denunciabat, ne quid operis novi fieret (*a*). Realis fiebat per *manum*, aut *lapilli ictum*, veluti si quis in re praesenti manum opponeret, lapillumve jactaret (1) prohibendi gratia (*b*). At privata novi operis nunciatio seu quia difficilis probatu foret, seu quia possessorem adversarium faceret (*c*), apud nos ab usu recessit: ea tantum obtinet, quae jussu judicis expeditur.

Ex jure Romano, qui novum opus nunciat, auctore Praetore, jurare debet, se non calumniae causa nunciare (*d*). Id tamen apud nos nusquam servatur. Tantum ex receptis moribus in Neapolitano territorio olim obtinuit, ut novum opus nuncians justas nunciationis causas in libello descriptas aedificanti offerret, easque intra terminum a judice praestitutum probaret. Id ni factum, tempore elapso, aedificandi copia vicino fiebat (*e*). Verum tota res isthaec hodie tam in Neap. ter-

(a) *d. l.* De pupillo 5. §. 3. *&* 10. *ff. eod.*

(1) Lapilli jactus symbolum fuit litis; eoque vis judiciaria parari fingebatur ei, qui aedificaret. Pleraque veteres per symbola expedire solebant. Ita stipula fracta foedus ruptum designabat; jactus chirothecae duellum indicebat; & hastae missio in terram hostilem bellum intentabat. Videsis Ev. Otton. *in Jurisprudent. Symb. Exercit.* 11. c. 9.

(b) *l.* Vi facit 20. §. 1. *ff. Quod vi, aut clam.*

(c) *l.* 1. §. 6. *ff. h. t.*

(d) *l* De pupillo 5. §. 14. *ff. eod.*

(e) *Consuet.* Si quis, *de Op. novi nunciat.*

territorio, quam in Regni provinciis ex Pragmatica a Carolo III. lata anno 1738. definitur. Scilicet ea cautum, ut nuncians novum opus in Urbe ducatos decem, in provinciis ſex deponat, plus, minuſve, quatenus religioni judicis videbitur. Ea pecunia depoſita, decretum a judice fiet: *fabricatores deſiſtant*. Eodem porro decreto tabularius deſignatur, qui rem cognoſcat, de eaque ad judicem referat. Tabularii autem relationem nuncians novum opus procurare debet intra dies triginta a prima juridica die poſt decreti denunciationem decurrendos a momento ad momentum. Quod ſi aut intra triginta dies relatio non fuerit peracta, aut non fuerit electus tabularius, interdictum ipſo jure ceſſabit (*a*). Illud autem animadvertendum eſt, in hujuſmodi nunciationis cauſis, a quocumque tribunali decretum fuerit emiſſum, nullum aliud remedium dari, quam *Nullitatum*.

Si cui novum opus foret olim nunciatum, is, niſi ſatiſdato caviſſet, ſe opus demoliturum, ubi jus aedificandi ei non eſſe conſtitiſſet, aedificare non poterat (*b*). At Juſtinianus hujuſmodi lites intra tres menſes dirimi omnino juſſit. Ubi vero quid fuerit ad deciſionem ambiguitatis impedimentum, eum, qui aedifi-

(a) *Pragm.* 18. *de ord. judic.* §. 1. *Coll. reg. litt. P.* 2. *tit.* 134. *litt. un. an.* 1752.
(b) *l.* Non ſolum 8. §. *ff. h. t.*

cationem deproperaret, opus efficere posse permisit, prius fidejussore dato, ut, si non recte aedificasset, omne opus post denunciationem extructum, suis sumtibus destrueret (*a*). Ceterum si quis post nunciationem aedificasset, etsi, jus aedificandi habuisset, quod extruxit, demoliri cogebatur: quia contra Praetoris edictum feciſſe videretur (*b*). Id & apud nos obtinet. Tantum post Pragmaticam a Carolo Borbonio editam, qua intra mensem hujusmodi lites dijudicari debent, raro a Judice aedificandi venia datur, praestita satisdatione *de opere destruendo*, nisi solarium lapillis expansum constringi oporteat. Sed de hac re videsis Carolum Antonium de Rosa (*c*).

Porro plures in jure civili occurrunt species, in quibus novi operis nunciationem cessare placuit. Ita si nuncians a nunciatione cesset, & aedificari patiatur (*d*); si Praetor nunciationem remittat (*e*); si depositum secundum leges non fuerit factum, vel tabularii relatio intra triginta dies non sit procurata (*f*), aedificans recte aedificabit. Praeterea morte ejus, qui nunciavit;

(a) *l. un. C. eod.*
(b) *l.* Praetor. 20. §. 1. *eod.*
(c) de Rosa *ad Consuet.* Si quis, *De oper. novi nunciat. & Prax. Civil. cap.* 13. *n.* 49. *seqq.*
(d) *l.* Non solum 8. §. 4. *ff. h. t.*
(e) *l. Un. ff. de Remiss.*
(f) *Pragm.* 18. *de Ord. judic.*

vit, & alienatione rei a nunciante facta extingui nunciationem, reſpondit Paulus: hiſce enim modis finitur jus prohibendi (*a*). Illud autem certum eſt, ſi is, cui novum opus fuit nunciatum eſt, deceſſerit, vel aedes alienaverit, non extingui nunciationem (*b*).

TITULUS IX.

De teſtamentis ordinandis, & aperiendis.

QUae in juris Romani Praelectionibus de teſtamentorum ſollemnitatibus enarravimus, ea apud nos obtinent ſine diſcrimine. Quod vero ad eorum exequutionem attinet, Juri Romano per patrias leges fuit derogatum. Teſtamenta enim, quemadmodum & aliae ſcripturae omnes, publica non cenſentur, niſi per regios tabelliones, & judices *chartularios*, ſeu *ad contractus*, conficiantur (*c*). Ii ſi deſint, paratam exequutionem teſtamenta non habebunt. Proinde ſi qua teſtamenta ab Apoſtolicis Protonotariis fuerint conſcripta, ea nullius roboris, ac pro falſis cenſeri placuit, ſive laici, ſeu cle-

(a) *l.* Non ſolum 8. §. 6. *ff. h. t.*
(b) *d. l.* 8. §. *ult. eod.*
(c) *Pragm.* 2. *de Contract.*

rici ſit teſtamentum (*a*) (1).

Teſtamenta rita confecta apud Romanos, auctore Praetore, aperiebantur, qui ſignatores convenire, & ſigna agnoſcere jubebat. Ii ſi abeſſent, vel deceſſiſſent, honeſtis viris advocatis, tabulae aperiebantur; eaſque iterum obſignatas Praetor ad abſentes mitti curabat ſua ſigna agnituros (*b*). Haec omnia in aperiendis codicillis itidem obſervari, edixere Principes (*c*). Tempus autem aperiendis teſtamenti tabulis poſt viceſimas hereditatium ſublatas, & abolita caduca, nullum certum eſt jure Romano definitum. Heredes igitur, quandocumque ipſis placuerit, teſtamenta aperiri curabunt. Ubi autem aperiuntur tabulae, apud nos praeter teſtes, praeſentia opus eſt notarii, & judicis chartularii, a quibus teſtamenti tabulae confectae fuerunt. Teſtes ſi abſint, vel deceſſerint, alii in eorum locum ſubrogari ſolent. Ubi vero notarius, & ju-

(a) *Collect. reg. litt. P. I. tit.* 55. *litt.* 1. *&* 2. *an.* 1753. *&* 1772.

(1) Quamvis falſi arguantur teſtamenta, quae non fuerint a publicis notariis, judicibuſque chartularijs confecta, ſi quis tamen teſtamentum produxerit, in quo Romani juris ſollemnia fuerint adhibita, ejus veritate in termino probatorio comperta, exequutioni demandari oportere, putaverim.

(b) *l.* Cum ab initio 4. *l.* Sed ſi quis 7. *ff. Teſtam. quemadm. aperiant.*

(c) *L.* Codicillos 4. *C. eod.*

judex chartularius deceſſerit, S. C. Praeſes, qui vice Protonotarii fungitur, interpellatus, notarium, ac judicem chartularium in locum defunctorum ſubſtituet. Eodem ſane pacto, ubi extra regnum conditum ſit teſtamentum, idem S. C. Praeſes, notario, judice chartulario, & optimae opinionis viris in locum abſentium ſubrogatis, tabulas agnoſci, & ſolemniter aperiri jubebit (*a*).

TITULUS X.

De teſtamentis conficiendis ſecundum Neap. Conſuetudines.

TRes habemus Neapolitanas Conſuetudines, quibus juri Romano nonnihil circa teſtamentifactionem derogatur. Duae maſculos, tertia feminas reſpicit. Singulas pro inſtituti ratione expendemus.

Si aliquis liberos habens teſtari voluerit, is ex receptis apud Neapolitanos moribus de bonis a ſe quaeſitis *diſponere poterit pro ſuo arbitrio voluntatis, debito bonorum ſubſidio* i. e. legitima, *in iis bonis liberis reſervato.* De bonis autem paternis, materniſve ipſius defuncti, quaeque ipſi a conſanguineis ex quocumque latere obvenerunt, uſque ad medietatem liberis

(a) *de Franchis Deciſ.* 530.

ris relinquere aequis partibus cogitur: de reliqua medietate ſtatuere pro lubito ei licebit. Quin & illud quoque moribus hac in re apud Neapolitanos receptum, ut, ſi pater pro filiorum aliquo aliquid ſeu pro utilitate paranda, ſeu pro delicto exſolvendo expenderit, poſſit id in bonorum medietate diſtribuenda filio imputare, ſi velit, eumque exaequare ceteris. Poſtremo ſi juſta ſubſit cauſa, non prohibentur parentes *exheredare liberos, & in totum a ſua ſucceſſione excludere* (a).

Jam vero cum bonorum antiquorum dimidium inſtar legitimae liberis ex Conſuetudine relinquatur, neque fideicommiſſo, neque quovis alio onere gravari poteſt. Tantum ſi cui libuerit fideicommiſſi vinculo hujuſmodi bonorum dimidium obligare, is quidem Socini cautione utetur, qua & ipſa legitima fideicommiſſo ſubjici ſolet. Ea autem cautione dum teſtator aliquid ſupra bonorum dimidium, aut legitimam filio legat, & ipſam legitimam, & quod ultra legavit, fideicommiſſo ſubjicit, ea lege teſtamento appoſita, ut, ſi filius voluntati eius parere nolit, bonorum dimidio, legitimave contentus, quod amplius ei relictum, reſtituat. Ceterum cum explorati juris ſit, bonorum dimidium ſine ullo onere relinqui oportere

(a) *Conſuet.* Si aliquis moriens, *unic. de Succeſſ. ex teſtam.*

tere, pupillaris ſubſtitutio in eo locum habere non poteſt: quamvis liberis in legitima inſtitutis pupillariter pater ſubſtituere queat. Diſcriminis ratio ea eſt, quod, ubi pater jure patriæ poteſtatis filio impuberi ſubſtituit, patris fingitur teſtamentum, per quod poteſt ſubſtitutus matri in ſucceſſione praeferri; contra bonorum dimidium ex legis *providentia* debetur; ut nullo pacto ipſis adimi queat (*a*) (1).

Ita quidem res in territorio Neapolitano ſe habet, ubi ſuperſunt teſtatori liberi. Verum ſi nullos reſtator liberos relinquat, de bonis a ſe quaeſitis ſtatuet pro lubito; de bonis vero paternis, & maternis, quaeque ab agnatis, & cognatis ei obvenere, dimidium ſaltem proximioribus agnatis, & cognatis, unde ea bona profecta ſunt, relinquere cogitur (*b*). Illud vero certum eſt, ſi parentes exiſtant, Conſuetudini locum non eſſe. Quare ſi cui ſint bona a paterna linea

(a) *Afflictus Deciſ.* 310.

(1) Decertant interpretes, utrum dimidium bonorum jure hereditario liberis, & proximioribus agnatis, cognatiſve debeatur, an ex legis *providentia*. Sed adhuc ſub judice lis eſt. Illud inter utrumque intereſt, quod in priori ſpecie bonorum antiquorum dimidium aditione adquiritur, & aeri alieno defuncti ſubjicitur; in poſteriori vero ſpecie nulli oneri hereditario ſucceſſor ſubeſſe cogitur.

(b) *Conſuet.* Et ſi, *un. de Succeſſ. morient. ſine fil. ex teſtam.*

nea profecta, is ſane matrem agnatis teſtamento praeferre non prohibebitur. (a)

Porro bonorum antiquorum ratio iniri debet, quo tempore teſtator decedit; ut illa tantum computentur, quae mortis tempore ſuperſunt. Ea vero bona, quo Conſuetudini ſit locus, in territorio Neapolitano poſita ſint, oportet. Conſuetudines enim ex Pragmaticorum ſententia non perſonas quidem, ſed bona reſpiciunt. Quare & civis Neapolitanus de bonis extra *diſtrictum* poſitis pro lubito teſtabitur; & exterus de bonis in territorio Neap. poſitis ex Conſuetudine teſtari cogitur. Ceterum cum Conſuetudo ultimas voluntates coërceat, dominus bona iſthaec in vita ſeu alienare, ſeu obligare non prohibetur. Tantum ſi obligatio contracta, vel alienatio facta ſit in fraudem Conſuetudinis, vel dimidium ſupplebitur ex bonis ab ipſo defuncto quaeſitis, vel alienatio uſque ad dimidium revocabitur actione Pauliana (b). Quibus autem in ſpeciebus fraus praeſumitur, enarrat Car. Ant. de Roſa (c).

Quod vero ad mulierum teſtamenta attinet, majores noſtri non eodem jure cenſeri eas voluerunt, quae ſine liberis, ac illas, quae, liberis ſuperſtitibus, deceſſiſſent. Sane quae nullos

(a) *Napodanus in cit. Conſuet.* Et ſi. v. proximiores. *de Roſa ad Conſuet. Neap. n.* 12. 43. *ſeqq.*
(b) *Argum. l.* Omnes 17. *ff. Quae in fraud. credit.*
(c) *de Roſa ad cit. Conſuet.* Et ſi, *n.* 14. *ſeqq.*

los relinquunt liberos, teſtamenti factione utentur ex Conſuetudine, *Et ſi teſtator*; ſcilicet de bonis a ſe quaeſitis ſtatuent pro lubito; de bonis antiquis uſque ad dimidium teſtamento praeſcribent, alterum dimidium proximioribus agnatis, ſeu cognatis relinquent, unde bona obvenerunt. Ubi vero liberos mulier habeat, de dotibus quidem, aliiſque rebus, quae ab agnatis, cognatiſve obvenerunt, ſeu jure ſucceſſionis, ſeu titulo lucrativo, decimam tantum partem in ſua ultima voluntate legare poteſt; reliquae novem partes liberis debentur; ut tamen liberi primi gradus in capita, ulterioris gradus in ſtirpes ſuccedant. Ceterum in hac ſucceſſione virilis portio ſingulis ſine onere debetur, in quam filii *ſine qualitate hereditaria* ſuccedunt. Proinde nec uni plus, quam alteri relinqui poteſt; nec licebit mulieri, in novem partibus filiorum fidei committere, eaſve conditioni ſubjicere. Illud vero explorati juris eſt, de mundo muliebri, (*paratum* in Conſuetudine dicitur.) ac de rebus a viro donatis tempore contracti matrimonii, necnon de quarta, ſi quam habet ab aliquo alio marito defuncto, a quo liberos non ſuſceperit, ſtatuere poſſe pro ſuo arbitrio voluntatis, ſalvo liberis utriuſque matrimonii, & parentibus debito bonorum ſubſidio (a). Quam autem diximus virilem liberis

(a) *Conſuet.* Si qua moriens, *de Mulier. hab. fil. qual. teſt.*

ris in novem praedictis partibus deberi, foeminae, si quae sunt inter liberos, non nanciscuntur; nisi uterinus cum uterina concurrat. Tantum fratres, quibus novem partes aequo jure deferuntur, sorores secundum paragium dotare jubentur.

TITULUS XI.

De Hereditatibus, quae ab intestato deferuntur.

IN Praelectionibus ad Justiniani institutiones enarravimus legitimam successionem, quae ex jure noviſſimo locum habet. Actum ne agere videamur, heic tantum exponemus, quae legitimae successionis ratio seu ex jure Fridericiano, seu ex Neapolitanis Consuetudinibus apud nos obtineat.

Prava in Regno Neapolitano ex veteri fortasse Longobardorum jure (a) invalucrat consuetudo, ut in successione Militum, Comitum, ac Baronum agnati jus fratrum veluti sibi vindicantes parentum hereditatem filiabus praeriperent, eis nubentibus, quamcumque vellent, dote constituta. Eam consuetudinem & naturali, & civili juri contrariam abolevit Fridericus II. celeberrima constitutione lata per universas, & sin-

(a) *L. L. l. 2. tit. 14. l. 14.*

& ſingulas Regni partes in quibuſcumque ſucceſſionibus valitura (*a*). Ea ſane cautum, ut, patre mortuo, in bonorum ſucceſſione maſculi feminis praeferantur; ita quidem, ut ſorores, aut amitas fratres, aut nepotes pro modo facultatum ſuarum, & filiorum ſuperſtitum numero ſecundum paragium debeant maritare. Quod ſi ſolae filiae ſint patri ſuperſtites, eae, excluſis aliis conſanguineis, ad ſucceſſionem admittentur.

Jam vero cum unius patris in Friderici conſtitutione occurrat mentio, illud vulgo heic diſceptari ſolet, an in matris hereditate mares etiam feminis praeferantur. Et quamvis nonnulli de materna hereditate ſecus ſtatuant, tum quia agnationi Fridericum ſtuduiſſe putant, & in rebus maternis nil eſt, cur mares feminis preferantur; tum quia ter in conſtitutione pater memoratur: tamen ex recepta apud Pragmaticos ſententia in materna quoque ſucceſſione maſculos foeminis praeferri placuit. Id autem inde potiſſimum deduci videtur, quod jure Longobardo non modo in paterna, ſed & in materna hereditate maſculi feminis praeferuntur. Certum autem eſt apud omnes, Fridericum jus Longobardicum heic reſtituiſſe. Ea autem de cauſa ſolius patris meminiſſe in conſtitutione ſua videtur Fridericus, quod prava conſuetudo, quam abolere

(a) *Conſtit.* In aliquibus, *de Succeſſ. filior. Com. & Bar.*

lere ſategit, in ſola patris hereditate locum habebat (1). Ceterum haec ita ſe habent, ſi germanus cum germana ad matris hereditatem concurrat. Quod ſi uterinus cum uterina de materna hereditate contendat, haec ab illo non excludetur. Cum enim lis ea, de qua nil edixit Fridericus, ex jure Romano definienda ſit, ex jure quidem noviſſimo uterinus in matris hereditate uterinae non praefertur (*a*). Huc illud accedit, quod ſi uterinam uterinus a matris hereditate excludat, hic illam dotare cogetur; quod nuſquam in jure proditum.

Illud vero quaeri poteſt, cum nepos ex maſculo in conſtitutione praeferatur amitae, an neptem ex maſculo amitae in avi hereditate praeferri oporteat. Poſt Napodanum (*b*) plerique pragmaticorum pro nepte ſententiam dixerunt, ea potiſſimum de cauſa, quod haec patrem repraeſentet. Contra alii Afflictum ſequuti (*c*) neptem ex maſculo aequo jure cum amita

(1) Hanc ſententiam res judicatae tuentur. *Afflict. ad Conſt.* in Aliquibus *n.* 48. de Franchis *Deciſ.* 171. *n.* 1. & de Luca *obſerv. ad praed. deciſ.* cui *canonizata* ea ſententia videtur.

(a) *Nov.* 118. *c.* 1.

(b) Napodanus *ad Conſuet.* Si moriatur *Minadous*, *de Ponte*, *aliique apud Antonium de Marinis* Reſol. 2. 145.

(c) Afflictum *ad Conſtit.* in Aliquibus *ſequuti ſunt Grammaticus*, *de Luca*, *aliique excitati ab Urſillo ad* Afflict. deciſ. 161. n. 2.

ta ad defuncti hereditatem admittunt. Cum enim iſthaec ſpecies a Friderico non fuerit definita, de ea ex jure Romano pronunciari debet. Juſtinianus autem neptem una cum amita ad avi hereditatem vocavit. Ceterum ſi quid in hac controverſia mutire liceat, Napodano litem addixerim. Cum enim in praeſenti ſpecie repraeſentationi ſit locus, neptis amitam exludet: is enim, quem praeſentem ſiſtit, eam excluderet. Illud vero, quod Afflictus obtrudit, lepidum omnino videtur, neptem nimirum ex filio gradum rapraeſentare, non ſexum. Si enim in feudi ſucceſſione neptis ex filio amitas, patruoſque excludit jure rapraeſentationis, non video, cur in allodii ſucceſſione idem obtinere non poſſit.

TITULUS XII.

De Legitima parentum ſucceſſione ex Conſuetudine Neapolitana.

UBI quis ſine liberis deceſſerit, luctuoſam ejus hereditatem parentibus majores noſtri addici voluerunt ſine bonorum diſcrimine. Ita quidem, matre filio praemortua, in maternis filii bonis praefertur pater; &, praemortuo patre, mater praefertur in paternis. Id autem adeo exploratum eſt, ut quamvis ab alterutro parente aliquid filio obvenerit, in illud tamen

uterque parens aeque succedat (1) (*a*).

Haec profecto ita obtinent, si soli adscendentes succedunt. Ubi vero cum adscendentibus cognati e latere concurrunt, in ea successione aliquid amplius fuit receptum. Nimirum in Regni provinciis ex jure Romano germani fratres, atque sorores, eorumque filii cum parentibus admittuntur sine bonorum discrimine, consanguineis, & uterinis exclusis (*b*). At in

Neap.

---

(1) Disputatur a plerisque, an bonorum discrimen in parentum successione sit admittendum. Nonnulli ajunt; negant plerique: nec desunt, qui bonorum discrimen admittunt, ubi superiores adscendentes succedunt; ubi vero ad patrem, & matrem filii defertur hereditas, nullum bonorum discrimen in ea successione agnoscunt. Quidquid hujusce controversiae sit, ex ipsa Consuetudinum mente liquet, adscendentes sine bonorum discrimine ad defuncti hereditatem succedere. Cum enim per *Consuet.* Filiusfamilias, *de Filiisf. vol. test.* filiusfamilias de maternis, maternique generis bonis testari queat pro lubito, ut tamen patri, aliive paterno adscendenti legitimam ex iis bonis relinquere debeat, manifesti juris est, hujusmodi personas ad ea bona legitima successione vocari. Qui enim ab legitima successione excluditur, cui legitimae portionis petitio contra testamentum datur? Atque in hanc sententiam S. C. saepius discessit. Rovit. *Cons.* 98. de Marinis *lib.* 1. *Res. cap.* 70. *n.* 14.

(a) Car. de Rosa *ad Consuet. un. de Filiisf. vol. test.*

(b) *Nov.* 118. *c.* 3.

Neap. territorio non modo germani, germanaeque, atque eorum filii vocantur; ſed & conſanguinei, & uterini, eorumque filii admittuntur. In hac autem ſpecie germani fratres cum adſcendentibus ad defuncti ſucceſſionem venient ſine bonorum diſcrimine: ad paterna autem bona, atque ad ea, quae ab ipſo defuncto fuerunt quaeſita, cum his conſanguinei vocantur; ad materna vero uterini (*a*). Illud porro certum eſt, non modo fratres, ſororeſque, eorumque filios cum parentibus ad defuncti ſucceſſionem vocari; ſed & nepotes, alioſque deinceps. Per Neapolitanas enim Conſuetudines jus repraeſentationis ultra fratrum filios fuit productum (*b*). Ceterum ſi nulli defuncto fratres ſuperſint, ſoli adſcendentes ſuccedent, & vel ipſi fratrum filii repellentur (*c*).

Jam vero cum ob hujuſmodi legitimas parentum ſucceſſiones familiis detrimentum non raro inferretur, & avita bona per feminas plerumque in alienas familias transferrentur; patricii Curiarum Nilenſis, & Capuanae per pactum nuptialibus tabulis adpoſitum malo obviam iverunt. Eo ſane pacto in nuptialibus inſtrumentis cavetur, ut pater renunciet filio-

(a) *Napodan. ad Conſuet.* Si quis, vel ſi qua *n.* 131.
(b) *Conſuet.* Sed & ſi morienti, *de Succeſſ. ab inteſt.*
(c) *Nov.* 127. *c.* 1.

rum ſucceſſioni in maternis bonis, mater in paternis. Decedente itaque inteſtato filio, cui a patre, vel paterna linea bona obvenerunt, proximiores ex parte patris ſuccedunt, excluſa matre. Itidem ubi quis decedat inteſtatus, materna, maternaeve lineae bona ad materni generis proximiores cognatos pertinent, excluſo patre. Cum vero hujuſmodi pacto avita bona in familiis apte ſerventur, non ſolum ceteri Neap. patricii, ſed & reliqui de plebe homines ſeu in Urbe, ſeu in Regni provinciis illud ſtatim adoptarunt. Ne quid vero quoquo modo adverſus id pactum moliri quis poſſet, Ferdinandus Catholicus ratum illud haberi juſſit an. 1505. Hujuſmodi pactum ſi in nuptialibus tabulis fuerit adpoſitum, matrimonium contractum dicetur ex *uſu novo*, i. e. ex more recepto a patriciis curiarum Nilenſis, & Capuanae, vulgo *alla nuova maniera*. Id ab eo matrimonio longe differt, quod initur ex *more magnatum, procerum, & baronum regni viventium jure Francorum*, ſive *ex uſu veteri*, vulgo *alla vecchia maniera* (1). Illud

(1) Si matrimonium contractum fuerit *ex more magnatum, & procerum regni*, materna filiorum bona cum ipſa dotali pecunia, ubi ii inteſtato deceſſerint, ad patrem deferentur. Vice verſa, ſi pater filio praemoriatur, & mox filius inteſtato decedat, mater in omnibus filii bonis ceteros omnes a ſucceſſione excludet. Tantùm ſi feuda ex patre praemor-

Illud porro exploratum eſt, ſi incertum ſit, quo pacto fuerit initum matrimonium, ex more Magnatum illud contractum videri, ubi qui contraxerunt, magnates ſint. Quin ſi matrimonium contrahatur inter ipſos patricios Curiarum Capuanae, & Nilenſis, nec in nuptialibus inſtrumentis fuerit vel veteris, vel novi uſus injecta mentio, ex veteri more initum cenſebitur (*b*) (1). Ceterum ex novo more initis nuptiis, non modo pater, ac mater a filii ſucceſſione, ſed & a ſucceſſione eorum, qui a filio deſcendunt, repellitur. Renunciatio enim non filii, ſed lineae reſpectu facta cenſetur (*c*).

mortuo obvenerint filio, in iis mater non praeferetur: feuda enim iis deferri placuit, qui fuerint in inveſtitura vocati.

(a) de Roſa *ad Conſuet.* Si quis, vel ſi qua *n.* 533.

(b) de Roſa *ibid.*

(c) Provenſalis *ad Conſuet.* Si quis, vel ſi qua. *Obſerv.* 25. *n.* 14.

(1) Ex eo intelligitur, hujuſmodi pactum perperam a nonnullis *Conſuetudinem* appellari. Si enim Conſuetudo foret, patricii curiarum Capuanae, & Nilenſis in dubio ſecundum eam matrimonium contraxiſſe cenſerentur.

TITULUS XIII.

De ſucceſſione cognatorum e latere.

SI neque liberi, neque parentes defuncto ſuperſint, ad ejus ſucceſſionem cognati e latere vocantur. In Regni quidem Neap. provinciis ea ſucceſſio ex jure Romano definitur. At in Urbe, ejuſque territorio in bonis *defuncti omnibus ſuccedunt proximiores ex parte patris; in iis vero, quae obvenerunt eidem defuncto a matre, vel aliquo ex linea materna proximiores ex parte matris ſuccedunt* (a). Itaque ſi defuncto fuerint bona ab ipſo quaeſita, & bona, quae *antiqua* a Pragmaticis dicuntur, illa quidem proximioribus paternis cognatis cedent; haec vero ita deferentur, ut quae ex patre, paternaque linea in eum profecta ſunt, proximiores paterni cognati ferant; quae vero ex matre, vel linea materna ei obvenere, proximioribus maternis cognatis addicantur. Ita ſi defuncto ſuperſint uterinus frater, ac conſobrinus, & de maternis bonis quaeratur, uterinus conſobrino praeferetur. Id inde factum, quia majores noſtri bona in ea familia manere voluerunt, cui fuerant quaeſita.

Porro

(a) *Conſuet.* Si quis, vel ſi qua, *de Succeſſ. ab inteſt.*

Porro cum a cujuſque lineae proximiori cognato remotiorem repelli dicimus, *lineam contentivam* intelligimus, non *effectivam*.(1) Id innuunt ipſa Conſuetudinis verba, *ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato deceſſerit, filiis, ſeu liberis legitimis non extantibus*. Ea ſane verba cum nullos ſuperſtites eſſe deſcendentes ponunt, qui in linea effectiva continentur; tum ſucceſſionem mulieris quoque deſignant, cui linea effectiva eſſe nequit: filii enim familiam patris ſequuntur. In contentiva porro linea cenſentur, qui in eadem ſunt cum defuncto cognationis linea; ut & ipſae feminae, earumque filii ab ea non excludantur; modo ex paterno latere ſint. Itaque in hac ſucceſſione ille praefertur, qui proximior defuncto eſt in ea cognationis linea, unde illi bona obvenerunt. Quapropter frater patruelis, ejuſve filius in bonis defuncti paternis uterino praefertur; & in bonis maternis conſobrinus conſanguineum excludet. Itidem amitae filius patrui magni filium ab legitima hereditate repellit,

(1) Pragmatici lineam *effectivam*, & *contentivam* effinxerunt. Effectivam vocarunt, quam ille efficit, qui bona relinquit, cujusque ipſe auctor eſt, & origo. Contentivam dixerunt, qua ille ipſemet, qui bona relinquit, continetur. Quare in *effectiva* deſcendentes; in *contentiva* e latere cognati comprehenduntur.

pellit, quamvis ille cognatus defuncto ſit, hic agnatus.

Jam vero in proximitate definienda non remota, ſed proxima bonorum origo ſpectari debet. Quare ſi Maeviae hereditas ad Sejum filium fuerit delata, atque in ea hereditate contineatur, quod Seji pater uxori donavit, aut legavit, defuncto Sejo, ejus hereditas maternis, non paternis cognatis cedet. Ex Pragmaticorum enim ſententia per *duplicem manus mutationem* bonorum natura reſpectu lineae commutatur. Ita in propoſita ſpecie quae bona a Seji patre profecta paterna videbantur, ea ubi ad Maeviam primum, deinde ad Sejum pervenerunt, natura paternorum bonorum amiſſa, materna cenſentur (*a*). Ceterum licet per duplicem manus mutationem bona naturam ſuam amittant, ubi tamen ea parentibus deferantur per obitum liberorum, *obliquata*, ſeu *curvata* linea, ut ajunt, per unicam ſucceſſionem eamdem naturam exuunt. Quare delata matri filii hereditas, defuncta matre, maternis cognatis proximioribus cedet. Diverſa enim filii, matriſque cognatio lineam de filio in matrem produci vetat; ut proinde curvari eam oporteat (*b*).

Jam vero per ipſas Neap. Conſuetudines con-

(a) *Napod. ad Conſuet.* Si quis, vel ſi qua *n.* 244. *Afflict. Deciſ.* 227.

(b) *De Franch. Deciſ.* 25.

contra juris Romani regulas, repraeſentationis jure producto, per ſubingreſſionem non modo fratrum filii, ſed & nepotes, & pronepotes, & alii deinceps in infinitum ex praemortuo fratre prognati ad defuncti ſucceſſionem vocantur (*a*). Quapropter in Urbe, ejuſque territorio, ſi defuncto ſuperſtes ſit frater, & ex praemortuo fratre nepos, hic a patruo in defuncti hereditate non excludetur. Ceterum Conſuetudo iſthaec locum habebit, ubi cum fratre defuncti concurrant filii, nepoteſve, aliique deinceps ex alio praemortuo fratre prognati. Quod ſi defuncto frater ſuperſtes deſit, res ex Conſuetudine V. definietur, & remotiores a proximioribus repellentur. Hinc ex altero fratre prognati filii nepotes ex altero progenitos excludent. Conſuetudo enim ultra ſpeciem in ipſa definitam extendi non debet.

Porro majoribus noſtris ea mens fuit, ut ne per feminas bona in alienas familias transferrentur. Proinde ſi ad defuncti hereditatem cum fratris filiis, nepotibuſque feminae concurrant, filii, nepoteſque non modo ſorores; ſed amitas quoque ab ea repellent, ſeu *antiqua* fuerint defuncto bona, ſive ab ipſo quaeſita (*b*). Maſculi autem feminas excludent, ſi conſanguinei fuerint. At ſi cum germano uterina

(a) *Conſuet.* Sed ſi morienti, *de Succeſſ. ab inteſt.*
(b) *de Franchis Deciſ.* 17.

rina concurrat, haec in maternis bonis partem facit, & accipit (*a*). Jure enim moribus apud Neapolitanos recepto, originis bonorum potior ratio habetur, quam duplicitatis vinculi.

Quae hucusque de successione cognatorum e latere per Consuetudines Neapolitanas firmata memoravimus, explorata quidem sunt, & in foro passim recepta. Illa tamen obscura quaestio est de interpretatione Consuetudinis septimae, quae Scriptorum omnium ingenia torsit. Verba ipsa Consuetudinis heic afferre non pigebit, ut inde sententiam exculpamus. *Quod autem dictum est in fratribus, nepotibus, pronepotibus, & proneptibus fratrum praemortuorum, & deinceps, eis non extantibus, intelligendum est de aliis in ulterioribus gradibus existentibus agnatis, vel cognatis. Et in praemissis appellatione fratris soror non continetur, praeterquam si soror partem, ut unus ex masculis habuisset de bonis parentum. Tunc enim ipsa soror ejusdem conditionis est quoad praedicta, ac si esset masculus; & ejus filii, & descendentes habentur, quoad id, sicut filii, & alii descendentes ex masculis* (*b*). In hac sane Consuetudine plerique omnes post Napodanum jus repraesentationis ad agnatorum, cognatorum-

(a) *de Franchis Decis. 99.*
(b) *Consuet.* Quod autem, *de Success. ab intest.*

rumque liberos productum agnoſcunt. Cum porro ex ea interpretatione in cognatorum ſucceſſione everteretur fundamentum legitimae ſucceſſionis (*a*), gradus proximitate per infinitam ſubingreſſionem ſublata, hinc eo rem deduxerunt, ut ſubingreſſionis beneficium ultra deſcendentes ex fratribus in quarto gradu poſitis produci non poſſe contendant. Quare patruelium, conſobrinorum, amitinorum liberos cum ipſis patruelibus, conſobrinis, amitinis admitti edicunt, ſobrinorum vero filios a ſobrinis repelli proclamant (*b*). Verum iſthaec interpretatio non video, quo pacto admitti poſſit. Quis enim ea Conſuetudinis verba: *quod autem dictum eſt in fratribus, eis non extantibus, intelligendum eſt de aliis in ulterioribus gradibus exiſtentibus agnatis, vel cognatis*, ad ſolos patruelium, conſobrinorum, amitinorumque liberos jure reſtrinxerit? Quamobrem putaverim, illa verba Conſuetudinis eo ſenſu explicari oportere, ut praeter fratres in quarto civilis computationis gradu poſitos, reliqui etiam in ulterioribus gradibus conſtituti iis deſignentur. Neque inde aliquid graduum proximitati per Conſuetudines raceptae timere debemus. Ea enim locum ſemper habebit, ubi defuncto deſit, qui ipſum in aequali cognatio-

(a) *Conſuet.* Si quis, vel ſi qua, *eod.*
(b) *Napodanus ad Conſuet.* Quod autem, *eod.*

tionis linea attingat. Quare si defuncto superstit sobrinus, & sobrini nepos, hic jure repraesentationis defuncti hereditatem una cum illo capiet. Quod si defuncto sit sobrini filius, & alterius sobrini nepos, filius nepotem repellit. Haec quidem Consuetudinis verbis, & sententiae apte quadrare videntur. Secus tamen post Napodanum edixere Pragmatici, eorumque error mirum, quot ambages in forum invexerit.

Re ita proposita, facile fuerit species eas definire, in quibus, utrum subingressioni sit locus, adhuc sub judice lis est. Ita si defuncto sit patruus, & fratris filius, successio ex gradu definietur. Itidem si defunctus reliquerit sororem, & alterius sororis filiam, locus subingressioni erit ex jure Romano. Quod si vero ad defuncti hereditatem concurrant fratris filii, & defuncti sorores, has ab illis excludi putaverim: fratris enim filios in praesenti specie & subingressionis, & lineae ratio defuncti sororibus praeferri jubet. Illud autem acerrime disputari solet, an fratris filiam amitae praeferri oporteat: atque in ea controversia S. C. aequitate suadente, amitam, & fratris filiam ex aequis partibus ad defuncti hereditatem vocare censuit (*a*).

Porro sororum liberi, queis in concursu fratrum

(a) *Capycius decis.* 21.

trum , ſubingreſſionis beneficium negatum , ſi ex *masculeata* defuncti ſorore fuerint ſuſcepti , jure repraeſentationis cum ipſis defuncti fratribus , eorumque liberis ad ſucceſſionem admittentur. Quae autem jus maſculi adepta eſt defuncti ſoror, licet cum maſculis , eorumque liberis ſuccedat , ſi tamen fratres, fratrumque liberi deſint , ceteras ſorores, earumque filios non excludet . Juris enim fictio ad coërcendam fratris avaritiam inventa , qui in conſtituenda ſorori dote ceſſavit , eo extendi non debet, ut defuncti ſorores , earumque liberos a ſucceſſione repellat . Ita ſi defuncto ſuperſint frater , ſororis maſculeatae filii , & ſoror jus maſculi non adepta ; ſororis maſculeatae filii cum fratre ad defuncti hereditatem venient . Si autem, nullo fratre ſuperſtite, ſoror maſculeata , ejuſve liberi cum ſorore non maſculeata ad Seji hereditatem concurrant , haec ab illis non excludetur. Conſuetudines enim cum derogent juri communi , a caſibus expreſſis ad caſus omiſſos produci non debent (*a*) .

Quae hucuſque memoravimus, paſſim obtinent , ſeu de laicorum , ſive de clericorum hereditate quaeratur . Et licet olim Neapolitanis Conſuetudinibus clericos non teneri , Napodano duce , Pragmaticorum natio contenderet ; hodie tamen clericos perinde , ac laicos Con-

(*a*) *l.* Quod vero 14. *ff. de Legib.*

Conſuetudinibus ſubeſſe juſſit Ferdinandus IV. (a)

Illud poſtremo animadvertendum cenſeo, extra juſtas nuptias ſuſceptos liberos ex regulis Romani juris ad parentum ſucceſſionem vocari in Regni Neap. provinciis. At in hac principe Urbe, ejuſque territorio aliud fortaſſe a majoribus noſtris jus receptum. Scilicet ita moribus conſtitutum, ut, *ſi quis, vel ſi qua ab inteſtato decederet, FILIIS, SEU LIBERIS LEGITIMIS non extantibus, proximiores ex parte patris ſuccedant* (b). Iis ſane verbis *injuſti* liberi & a paterna, & a materna hereditate repelluntur. Aequalitatis autem ratione ſuadente, parentes in liberorum naturalium ſucceſſione a fiſco removentur. Ea fortaſſe de cauſa lis inter fiſcum, & concubinum de hereditate filii naturalis ſuborta per tranſactionem fuit definita (c).

TITULUS XIV.

De ſucceſſionem conjugum, & Fiſci.

OMni cognatione deficiente, ſucceſſio conjugibus defertur ex jure Romano. Id jus apud nos

(a) *Collect. reg. litt. P. 1. tit. 64. litt. 9. an.* 1770.
(b) *Conſuet.* Si quis, vel ſi qua, *de Succeſſ. ab inteſt.*
(c) *Car. de Roſa ad Conſuet.* Si quis, vel ſi qua *in Alleg. poſt. n.* 434.

nos obtinet, quidquid Marinus a Caramanico obnitatur (*a*), Quin & illud moribus receptum, ut viduae virum elucturae a viri heredibus & pullae veſtes praeſtentur, & lectus viduitatis (*b*).

Ubi vero nec conjux ſupersit, fiſcus defuncti bona tamquam vacantia occupabit. Et quamvis Romano jure quaedam collegia, & corpora fiſcum ab hereditate collegiati, & corporati repellerent; id tamen apud nos ſublatum a Guilelmo. Is enim in praeſenti ſpecie hereditatem ſubhaſtari juſſit, tertiaque ejus parte pro defuncti anima pauperibus erogata, residuum ſeu pretii, ſeu ipſarum rerum hereditariarum fiſco addixit (*c*).

Quod ab bona *forojudicatorum*, ea, niſi feuda fuerint, liberis, vel parentibus uſque ad tertium gradum deficientibus, fiſci commodis applicari voluit Fridericus: a feudis adſcendentes exclusit. Si vero forojudicatus filios habuerit, pro rata, & numero liberorum ad ejus bona fiſcum vocavit. Ita si unicus filius forojudicato sit, bona inter fiſcum, & filium ex aequalibus partibus dividentur: si duo sint filii, fiſcus in tertiam admittetur, electione Cu-

(a) *Marinus a Caramanico ad Conſt.* Dohanae, *de Offic. Secreti.*
(b) *de Franchis Deciſ.* 413.
(c) *d. Conſt.* Dohanae, *de Offic. Secret.*

Curiae ſervata, utrum partem bonorum ipſorum habere velit, an ipsius partis aeſtimationem, ubi aeſtimatio offeratur (*a*).

Ceterum si defuncto ſupersit tantum filius *forojudicatus*, bona, quae ei ex ſucceſſione debentur, fiſci juribus vindicavit idem Fridericus. Si vero praeter forojudicatum alios filios, filiaſve reliquerit defunctus, fiſco virilem deferri juſſit, quae ad forojudicatum ſpectaſſet, *omnibus, quae de criminibus laeſae majeſtatis veteres juris auctores, tam contra ipſos reos, quam ſucceſſores eorum ſpecialiter induxerunt, in ſuo robore duraturis* (*b*). *Forojudicatus* autem dicitur, qui abſens ob contumaciam ad mortem damnatur. Ad fiſcum autem non poſſunt ulla bona pertinere, nisi quae creditoribus ſuperfutura ſunt: *id enim bonorum cujuſque intelligi, quod aeri alieno ſupereſt*, ait Javolenus (*c*).

(a) *Conſt.* Forojudicatorum, *de Fiſc. ſucc. forojud.*
(b) *Conſt.* Ob filiorum, *Ut pater forojudic.*
(c) *l.* Non poſſunt 11. *ff. de Jur. fiſci.*

TITULUS XV.

De Dote ſecundum paragium mulieribus ſeu Provincialibus, ſeu Neapolitanis debita.

IN parentum ſucceſſione tam ex Friderici conſtitutione, quam ex Conſuetudine Neapolitana mares feminis praeferuntur ea lege, ut illi pro modo facultatum, & filiorum ſuperſtitum numero *ſecundum paragium* has debeant maritare. Cum vero *paragium* apud ſequioris aevi ſcriptores generis paritatem ſonet (1), maſculi foeminas matrimonio collocabunt, quod generis honeſtati reſpondeat.

Jam vero dos mulieribus conſtitui debet non modo ex facultatibus, ac dignitate mulieris, & viri, quatenus ratio patitur, uti reſpondit JCtus (*a*), ſed etiam pro numero liberorum. Si enim liberorum numerum in definienda dote contemnas, illud interdum continget, ut familiis avita nobilitate clariſſimis, dote mulieribus conſtituta, deſit, unde ſe pro dignitate alant. Proinde de dotis quantitate nil certi affirmari poteſt: eaque arbitrio boni viri re-

(1) *Cangius* voc. *paragium*. Paragium itaque non ipſa dos eſt, ſed honeſta mulieris conditio. Proinde vocabulo abuſi videntur, qui *paragium* pro ipſa dote dixerunt.

(a) *l.* Quaero 60, *ff. de Jur. dot.*

ctius fortaſſe remittetur (1). Dos autem ſi nuptae mulieri definienda ſit, eam ad legitimae quantitatem pertingere oportere, docuere Pragmatici (*a*). Ubi *vero* nondum elocata ſit mulier, ea dos ipſi conſtituetur, qua honeſte nubere queat non modo ſupra legitimam, ſed & uſque ad virilem, ſi mulier nubere aliter non poſſit (*b*) (2). Supra virilem ſi quae foeminae aliquid petiverint, inani ſe ſumtu vexabunt. Incivile eſt enim, meliori praemaribus conditione feminas uti. Ceterum dotis ratio accuratius ſpectari ſolet, ubi a fratre conſtituenda ſit. Si enim a patre dos filiae fuerit conſtituta, de paterno judicio diſceptari, niſi ob enormiſſimam laeſionem, non debet (*c*). Por-

(1) Haec dotis ratio in opulentioribus, magnatumque familiis locum non habet. In hujuſmodi enim familiis dotes definientur ſecundum mores apud ipſas receptos. *Grammat. deciſ.* 101.

(a) *Afflict. deciſ.* 160.

(b) *Grammaticus deciſ.* 57.

(2) Licet legitima in pleriſque cum dote de paragio conveniat, in multis tamen ab ea diſcrepat. Ita quidem legitima a lege definitur, *Auth.* Noviſſima *C. de Inoff. Teſtam.* dos de paragio arbitrio boni viri remittitur pro modo facultatum, pro numero liberorum, pro conjugum dignitate. Praeterea, niſi patre mortuo, legitima peti non poteſt: at, vivo patre, paragium recte petitur. Denique, ut cetera praeteream, legitima ex qualitate hereditaria praebetur, ſecus vero paragium. Sed videſis *Napodanum ad Conſuet.* Si qua mulier *n.* 23.

(c) *de Marinis Obſerv. ad deciſ. Reverter.* 444. *n.* 3.

Porro cum in locum legitimae dos ſecundum paragium veluti ſucceſſerit, illud certum videtur, paragium non ſecus, ac legitimam, tam ex paternis, quam ex maternis bonis mulieri deberi. Id ſi minus in Friderici conſtitutione, in Neapolitana certe Conſuetudine (*a*) aperte declaratur. Proinde ſi qua mulier dotem a patre in paternis bonis acceperit, paragium ex maternis bonis petere non prohibetur; quemadmodum ſi ex maternis bonis conſtituta dos filiae ſit, poſt mortem patris debetur eidem ex paternis bonis paragium. Quin & ſi dos ab extraneo dicta ſit, niſi intuitu patris id fuerit factum, paragium mulier recte petet. (1)

Dotem de paragio petitura mulier non alia actione, quam condictione ex lege, i. e. Conſtitutione, vel Conſuetudine experiri poteſt. Cum vero iſthaec actio perſonalis ſit, vix adverſus fratres, eorumque heredes inſtitui poſſe videtur.

(a) *Conſuet.* Si qua mulier, *de mul. hab. fil.*

(1) Quod dici ſolet, *unicum paragium feminae ſufficere, Neapoli unicam ſufficere dotationem*, id quidem non eo pertinet, ut unico paragio ex bonis ſeu paternis, ſeu maternis delibato mulier contenta eſſe debeat; ſed potius eo reſpicit, ut ex eadem linea duplex ei paragium non debeatur. Ita ſi ex paternis bonis paragium mulier nacta ſit, omnium ex paterno latere conjunctorum ſucceſſione repelletur. Atque in hanc ſententiam S. C. a patrui ſucceſſione mulierem excluſit, quae a patre dotem acceperat. *de Franchis Deciſ.* 87.

Quare, bonis hereditariis alienatis, ſi fratres, eorumve heredes ſolvendo non ſint, non licet mulieri adverſus tertium poſſeſſorem experiri. Verum, aequitate fortaſſe ſuadente, moribus apud nos invaluit, ut adverſus tertios poſſeſſores veluti in ſubſidium mulieri pro paragio detur actio hypothecaria. Ad eam tamen devenire mulieres prohibentur, niſi prius fratres, eorumque heredes excuſſi ſolvendo non eſſe deprehendantur (*a*) (1).

Non ſolum nupturientibus feminis, ſed & in monaſteriis vota nuncupantibus paragium ſolvitur, quod vulgo *ingreſſarum* nuncupatur. De hujuſmodi autem paragio diverſa ratione reſpondent Pragmatici, prout ſcilicet vel vivo, vel mortuo patre mulier in monaſterio vota nuncupet. In priori ſpecie, eam mulieri, dotem praeſtandam edicunt, quae monaſterio ex recepto more ſolvi ſolet. Quod ſi poſt mortem patris virginitatem virgo voveat, integram dotem ei praeſtari oportere cenſuerunt

(a) *Vid. de Roſa ad Conſuet.* Si moriatur *n.* 291.

(1) Quamvis in rebus feudalibus ex Friderici conſtitutione dos ſecundum paragium mulieri debeatur contra juris communis feudalis regulas; tamen inter paragium ex feudo, & paragium ex allodio illud intercedit diſcrimen; quod feudale paragium in pecunia praeſtari debet, cum feuda ex jure Francorum ſint individua; allodiale vero in poteſtate fratris relinquitur, utrum in pecunia, an in rebus hereditariis ſolvatur. *Merlin. Controv. jur.* 2. 12.

runt ab ea nil diverſam, quae ipſi, ſi nuberet, perſolveretur, quaeque plerumque ex legitimae ratione aeſtimatur. Id inde deduxere, quod jus ſolidi paragii capiundi morte patris mulieri quaeſitum monaſticae vitae profeſſione interverti non debet.

Jam vero, ne mulier matrimonio collocata de paragio ſive ex maternis, ſeu ex paternis bonis delibato aliquando quereretur, illud fuit apud nos receptum, ut, quae nubit, quaeve vota in monaſterio nuncupat, omni ſeu parentum, ſeu aliorum propinquorum ſucceſſioni jurata contra juris Romani regulas (*a*) renunciet. Id ubi expreſſe & ſpecialiter factum, ſi mulier minus paragio a patre acceperit, patre mortuo, paragii ſupplementum a fratre fruſtra petet (*b*). Ceterum ſi pater moriatur, nullis filiis maſculis ſuperſtitibus, quae, dote accepta, & renunciatione facta nupſit, cum ſororibus innuptis ad paternam hereditatem admittetur, modo dotem acceptam conferat. Ea enim renunciatio *translativa* maſculorum tantum intuitu facta cenſetur (*c*) toto caelo ab ea diverſa, quae rerum ipſarum reſpectu a monialibus emittitur, *extinctiva* propterea dicta. Tantum ſi pater extraneum teſtamento heredem ſcri-

(a) *L. ult. C. de Pact.*

(b) *Argum. l.* Si quando 35. 2. *C. de Inoff. Teſtam.*

(c) *Napodan. ad Conſuet.* Si moriatur *v. ipſi ſucceſſores.*

ſcripſerit, filia de eo queri non poterit: renunciatio enim nonniſi ipſi patri facta videtur.

Quae hucuſque enarravimus, & in Neapolitano territorio, & in provinciis aeque ſervantur. Tantum illud per Neapolitanas Conſuetudines ſingulare obtinet, ut, ſi frater ſororem uſque ad XVI. annum expletum differat maritare, ſoror *maſculeata* evadat, ac maſculorum jura conſequatur; & de bonis paternis ac maternis virilem portionem recte petat. Quo autem ad maſculorum jura mulier perveniat, oportet, ut XVI. annum expleverit, utque, mortuo patre, ejus nuptiis frater opportune interpellatus moram fecerit. Quare ſi fratres opportuno tempore, & loco interpellati ſorores ea de cauſa non elocaverint, quod nulla ſeſe obtulerit honeſta nuptiarum occaſio, illae nullo pacto maſculeatae cenſentur (*a*). Ceterum cum Conſuetudo paternae hereditatis ſucceſſores reſpiciat, ſi mulier ipſum patrem interpellaverit, ut nuberet, iſque nuptiis moram fecerit, jura maſculi numquam conſequetur (*b*).

Ubi femina fuerit *maſculeata*, non modo cum fratribus in virilem portionem tam in paternis, quam in maternis bonis ſuccedet; ſed jus maſculorum quaeſitum in liberos tranſmittet. Proinde *maſculeatae* liberi ad parentum, & conjunctorum e latere ſucceſſionem tam-

(a) *Conſuet.* Si moriatur, *de Succeſſ. ab inteſtato.*
(b) *de Franchis Deciſ.* 616. *n.* 2.

tamquam ex maſculis deſcendentes vocantur (*a*). Illud autem certum eſt, ſi ſorori maſculeatae nulli ſuperſint fratres, eorumque liberi, ſorores non maſculeatas, earumque filios ab ipſa non excludi. Fictio enim, qua mulier veluti maſculus cenſetur, adverſus fratres introducta, ſororibus detrimento eſſe non debet.

F I N I S.

605406

(a) *de Franchis Deciſ.* 412.